




BIBLIOTHECA
UNIVERSITATIS
CRACOVENSIS

585363-
-585367

Mag. St. Dr.

I




585363-585367

Mag. St. Dr.

of Tri
co. 2.
Lug. 1860.

1360

Liberation



COMITIA SAPIENTVM.

Scriptore
IOANNE INNOCENTIO
PETRICIO,
Medico & Historiographo in Aca-
demia Cracouiensi.

*Ex libris Collegii... et...
Iugum... Coffi... Stip... 3...
PARS PRIMA.*

*met huius fatus
Joannis Kryszkowic Vicary Notar. ad.*

CRACOVIAE,
Ex Officina Typographica Francisci Cesarij,
ANNO DOMINI M. DC. XXVIII.

IN STEMMA.



585 366 T

BElligero premitur sub quadrupedante Cerastes
Lunaq; sydeream circinat orbe facem.
Namq; Ducum æthereo generi, & bellantibus armis,
Fulgurat hinc splendor, robur ab inde venit.

M. Jacobus Vitellius, Collega Maior.

Ill^{mo} Principi ac Domino,
D. G E O R G I O
DVCI IN ZBARAZ,
C A S T E L L A N O
Cracouienſi:
PINSCENSI, SOCALIENSI, ZARNOVE-
CENSI, VISLICENSI, &c. &c.
Capitaneo.

JOANNES INNOCENTIVS PETRICIVS S. & F.

RIMVM TE PRINCEPS
ILLVSTRISSIME conueni-
unt, nomenquia Tuum ad publicum fa-
uorem depositum, quos hic vides, Sa-
pientes. Alij, didicimus experimen-
to, quam religiose etiam à salutanti-
bus adiri consueuistis, quam multa obstantia, quam ma-
gnam circa vos, que, licet vndique pateatis, ſeptem nos dimo-
uet, habetis custodiam, in ſoli amplitudine & ſplendore :
hi, quanquam iſtud & quicquid ad ſe pertineret intellexe-
runt,

D E D I C A T O R I A.

runt, non timuerunt tamen apud Te insolentiam vel repulsam. Absit PRINCEPS: nullus hic temeritas in Cynicorum erumpit superbiam, ut non estimet Alexandrum, non perdit etiam in Sapientibus ius suum vestri reuerentia & respectus, sed cum utroq; magnus immineres, nescio utrum laudabilius fuerit, Fortunam in Te agnoscere, quam etiam in pessimis habet, venerazione, an Virtutem, quam nisi in optimis praestat, fiduciam & facilitatem. Sunt quidem illa, quibus unumquenq; perstringis, luculenta testimonia Virtutis Tuae, sunt care Tuae merces, non nisi magnis meritorum pretiis a gentilibus Tuis Tibi, Teq; ipso comparatae: Natalium splendor, in quo, quam educatio, quam bortator aliquis, quam ipsum virtutis nomen cognitum Tibi fuisse, ante idoneus dignusq; maioribus, conscientiam & indole fuisse: Opum amplitudo, in qua simili cum Deo munere, prater bene faciendum virtutesq; propagandum, nullam Tibi ad alia facultatem reliquisti: Nominis decus, quod iam multiplicatum glorie insignibus, illustrius Tuâ serie continua tioneq; reddidisti: Senatoria dignitas, in qua plena meritorum consecutione, principem statim primumq; locum obtinuisti: iam tot tituli, tot appellationes, quibus celum nostrum repleuisti: hac tamen omnia, quantumuis in Te mira-

DEDICATORIA.

miraremur, sussiceremus, in virtutibus reponeremus, liberè dicam, alia pretulimus; unâ tantum causa: Fortune, quæ simul cum his aderat, verecundia. Minora, fatemur, & si cum prioribus conferantur, inferiora erant, quæ nos ad Te inuitarunt, que adduxerunt, literæ, doctrina, eruditio, sine iactantia, fastu, vanitates adhac pari librâ mixta comitas cum grauitate, modestia cum potestate, simplicitas cum auctoritate, constans omnium equabilitas, & equabilis omnium constantia: sed fuit quiddam in his, quod nobiscum consentiret, & seu naturâ seu affectu mitioribus & quasi familiarioribus dotibus addicti, virtutibus quidem Tuis pretulimus, sed non nisi alias virtutes. Peruenit tamen ex aliis ad alias veneratio, & sicut ubi una virtus, ibi omnes adsunt, ita quem aliqua in Te honorem, eum omnes habent. Non est ingenij nostri illarum magnitudinem colligere, longamq; replicando memoriam, merita cuiusq; conuenienti comparatione connectere: literas, doctrinam, ipsam Tuam Prudentiam quanti fecimus, ex eo cognosces, quod nulla sine hac virrus Tua stetit. Nolo ego referre, quoties illa exacerbatos in republica ciuium animos, atq; in mutuas surgentes pernicies sedauit, quoties turbulentas minas, pericolosas offensas, erumpentes seditionum faces extinxit, quoties eius opem respubli-

DEDICATORIA.

ca requisuit, quoties consilium in ambiguis, medellam in rebus afflictis implorauit: nulla his magis adhuc, quam sola prudentia laudatur. Debuisti hanc saltim in aliquo prestare nobis, ut dignitatem non habere modo sed etiam exercere, ut vel ne ideo Senator dicereris, quod tantum fueris. At quantam Tu simus virtutum turbam hac unam produxisti? Temperantiam, cum nulli commodo publico utilitatique, priuatum sinum pansiisti. Pietatem, cum Tuas offensas publicae saluti remittendo, singulos, uniuersos, vel pro beneficio, quod sui munera esse scirent, resumere libertatem, inuigilare publicis commodis, commoueri temporum vice, capessere afflictæ reipublicæ curas, exorare, hor-tari non remisisti. Constantiam, cum in nullius gratia, ostentatèque spei auctoramentum & sententiam pedibus transiusti, neq; ad diuersissimam partem à Tuâ dignitate equitateque recessisti. Fortitudinem, cum potius dicere quæ velles odiosum sed honestū, quam quæ nolles miserū & turpe reputando, res his temporibus inter se dissociabiles, dignitatem libertatemque miscuisti. Unde magnum quoq; Tibi his ciuium amorem, magnam fidem peperisti: ut quoquo vocares, Te alacres & securi sequerentur, quicquid suaderes, Tibi tam propè parerent quam Regi, tam fiderent, quam sibi. Non rationibus colligam quod experimentis probatum

DEDICATORIA.

tum est. An spes aliqua paulo ante fuit, amplissimam regni
Curiam, circumuentam a^cincipiti hostium ciuiumq^{ue} metu,
cum inde armis, hinc discordia, quā iam perire nihil sine
vniuerso nobis poterat, agitaretur, ab aliquo expediri li-
berariq^{ue} posse? Factum; cum diuinam prudentiam, hoc
est, Tuam interposuisti. Amouisti haud mora intesti-
num malum, sustulisti pessimum exemplum, & quamuis
hoc idem alij conarentur, Tibi tantū obtemperatum est,
Tu concordiam, Tu Comitia perfecisti. Itum in suffragia
est, impetratum quod postulabatur, interq^{ue} alia laudan-
da, deseruimus lucra, nobis seruauimus nostras messes, ac
ne hostilibus usibus anni exuberarent, clausimus apud nos,
exterarum quoq^{ue} gentium abundantiam vel famem. Vi-
de PRINCEPS, in quot vias ab una prudentiâ; in
quot laudes progressus es; tantoq^{ue} etiam illustriores, quan-
tò excellentibus ingeniis, sepius didicimus defuisse artes,
quibus ciues regerent, quam quibus hostes superarent. Sed
num hostes quoq^{ue} Tibi defuerunt? num arma? num ille
idem in periculis animus? Parumne Te experti asperri-
mâ expeditione in Turcas ad Bussam fuimus? Vbi post
castra, manus, equos, viros, constantiam, perseverantia-
m, quid tandem habuimus, quo hostem vicimus, pr^{eter}
Te ipsum? Quarebat iam ille pertesus belli, aliquod di-
scussionis

DEDICATORIA.

scessionis suæ pretium, contentus oppidi unius, sibi insensi
inimiciq; ultione, longâ contentione illud à nobis, quod Tu-
um erat, deposcebat, Bersadam nominabat, Bersadam in
conditionibus, in summa pacis ponebat, flagitabat; nos
quoq; cum hoste eandem à Te rogauimus, in necessitate at-
tulimus, monstrauimus, quâ unâ tunc potuit redimi pa-
tria, hostis amoueri. Leue munus, quod libenter patriæ
dares, erat, sed quām amplius in eo de fortitudine haberes,
illo demonstrasti, quod nemo à Te impetravit. Excogi-
tasti ad nostras preces aliud quiddam, quod pari in patri-
am pietate, impari nobiscum mente virtuteq; prestares:
antequam hostes, antequam nos senssemus, sperassemus,
maximâ præcipitiq; celeritate ad hoc missis equitibus, ipse
oppidum deuissisti, controversiamq; & bellum flammis re-
stinxisti. Magnæ hæ PRINCEPS laudes sunt, pul-
cherrimi fructus animi, consilij, prudentiæ Tuæ. Neq;
hoc unum tantum nobis experimentum, sed aliud alio ma-
ius pulchriusq; præstisisti. Vel illud adhuc cuiusmodi est,
cum regnum, fatis haud dubiè male nobis cogitantibus, in-
opinatò ab omni parte agitaturn ac perterritum, pro vitâ
iam propè suâ saluteq; extimuit? Hic animos oculosq; per-
cellebant rapte per perfidiam prouincie, immisus in inte-
riora regni hostis, portus proditi, aperti aditus, agri, arces,
urbes,

DEDICATORIA.

urbes, homines, sine prælio, sine morâ, momento ari-
capti, traditi: hic nihil à nobis in ista prouisum para-
hic plures alij hostes, hic ipsi vicini, palam aut occulte
ad occasionem infensi paratiq; Moschi, Tartari, Turce,
ceptum statimq; compositum cum Ferdinando Cæsare bel-
lum, Mansfeldiani amissso Duce vagi, capiti iam Reipu-
blicæ, Corona regie, è Silesiâ proximoq; imminentes. Si, quis
tunc laborantibus succurrit, quis opem manumq; nobis
porrexit, quæsiero: an non Tu, qui Te primum in Tua par-
te opposuisti? Si, quis hostem exterruit, arma ei ex ma-
nibus excussum: an non Tuidem, qui Tuis pariter exsonui-
sti, qui nostra strinxisti? Ad Te tunc respximus, Tibi
obtemperauimus, ad Tuam vocem, auctoritatem, in Co-
mitiola extra ordinem conuenimus, pecuniam obtulimus,
arma, viros comparauimus, ad nomen, delectum respondi-
mus, ipsi deniq; in ferro, in excubiis fuimus. An hæc fru-
stra, an in cassum suscepimus, iniuimus, fecimus, fatentur
dolenter ij, qui nobis non crediderunt. Sentis verò iam
PRINCEPS, vt omnia, quecunq; continenter me-
ditaris, quecunq; aggrediendo nobis exponis in lucem, ab
altitudine animi à Tua prudentia proueniant, vt nihil
se ab eâ diuelli separariq; permittat, vt quamcunq; in Te
virtutem sumimus, sequantur omnes, dataq; per unam via-

cetera

DEDICATORIA.

cetera mirabili societate ad se inuicem coacte, parem cum illâ agant triumphū. Quamuis enim multiplicamus nomina virtutum, gradus inter eas facimus, non habent tamen illæ inter se discrimen, non numerum, nisi de nostra infirmitate, ideoq; à nobis diuisæ sunt ut intelligantur, ut elegantur. Non exuerunt h̄ic PRINCEPS, non deposuerunt Sapientes, virtutum Tuarum memoriam, reddent etiam Tibi, si vis, de sua electione rationem. Quicquid in Prudentiâ Tuâ pretulerunt; admiratio est, quâ simul omnes in una inuenerunt: quicquid in Prudentiam Tuam contulerunt, infirmitas est, quâ simul omnes capere non potuerunt: quicquid in Prudentiâ Tuâ laudauerunt, affectus est, quo simul omnes in una amauerunt: quicquid in Prudentiâ Tuâ coluerunt, reuerentia est, qua simul omnes in una honorauerunt: quicquid in Prudentia Tua preceperunt, fiducia est, quam sibi ab una in omnes congefferunt. Satis est PRINCEPS: annue vel hac unâ Sapientibus, aspira fauorem quem petunt, dexter volensq; inuocantibus adsis, iam illi, & per ceteras Tuas excelsas virtutes, pleniori se prædicatione inuenient, & à Tuis auspiciis, per aliorum benevolentiam inoffensos agent cursus.

C O.

C O M I T I A
S A P I E N T U M
L E C T O R I M E O.

Propositum & scopus libelli.



LARORVM Virorum non *Occasio scripsit
prioris.*
partem modò, & facta moresq;
postoris tradere, sed vultum eti-
am, sermonem, habitum, totumq;
quod viuentium fuerat à morte
effingere usitatum est. Meritò id
fane & perquam conuenienter. Nam nec delite-
scere potest imago, quam ad morum lineamenta
nemo non intra se statim concipit videtq;; & dicta
factaque, quæ non quilibet potuit, conuenit ut
non quemcunque, sed suum referant autorem.
Adhæc solæ non tantum aures efficiunt, & quam-
uis vtraq; ad animum via est, fortius tamen perue-
niunt, quæ animus non narrari sibi tantum putat,
sed exprimi, & oculis mentis ostendi. Hinc illi *Dialogi 5.*
apud scriptores Sapientum cætus, repræsentati
per Symposia, solennes Cænas, Conuiua: excogita-
tæ, quò suis se dictis sententijsq; exercearent, Pa-

A

læstræ

Comitiorum Sapientum,

2 Iæstræ, Scholæ, Academiæ. vbi nulla re vero dissimiles, videoas inuicem moribus studijsq; coniunctos coire, gaudere congressu, officiosis vltro citroq; verbis colloqui, alia ex alijs inter eruditas voluptates mouere quæstionum capita, interdum se se mutuò laceſſere, iocis decertare, acute, festiuè, ambigüè, salibus, sensiculis, ludere, ducere, suspenderet, ut inter tam seria, tam viua & spirantia, neſcias quid mors in ipſos egiffet. Cæpimus h̄ic vi- des, in simili quoq; ludo tabulas & stylum, non paria efficiendi arrogantiâ, verūm ludendi licentia.

Liberate lib- terarum

Nemini h̄ic libertas aut voluptas in literis negata, sed velut in instructissimo aliquo emporio hortoue, quicquid studij cuiusq; poscit affectio, positâ laboris mercede, auferre permisum. Quem licet h̄ic fortasse in cæteris videar lusisse perdidisseque, in eo saltē non vsquequaq; improbandum reſer- ram, conatus quantum potui, tam assueſcere optimis, quām quod in alijs optimum erat, meum facere. Nam statim profiteor, statim moneo, quicquid h̄ic est, ab alijs esse, sic scribendo temperatum, ut aut aperiam, quod aliquem dixisse non lateat, aut tegam, quod aliquem dixisse oporteat. Si dicto non credis, si diffidis, si dolum times, quām aliquid præproperè ac iniquè pronunties, aut diem iudicij diffunde, quo ad de quo dubitas liqueat, aut vadem coīunem literatorū à me quoq; accipe:

Nihil

eorum incun- ditas

Imitatione o- ptimorum

ex quibus cō- cinnatum hoc opus

Pars Prima.

3

Nihil tam difficile, quin querendo inuestigari possit.
Quod si in eo me absolutum dimissumq;; ad ali-
ud iudicium & quæsitores retrahis, quòd non sim-
plici & aperta oratione, quicquid tradere propo-
litum erat curatum est, quòd inductæ nubes & te-
nebræ, per quas videre intelligereq; quæ velim,
nisi solus & vnum possum, quòd figmentis operi-
mentisq; præfocata sepultaq; omnia. Primum, re-
spondere ad ista possum, scitum illud Imperatoris
Romani, Rationem otij sui neminem reddere. Deinde, ^{naturâ,}
ad naturam prouocare, in qua nihil non serium,
& tamen obducta sunt omnia, plurimum lucis,
& tenebras experimur. Quanquam cum libris
illud quod cum amicis facere oportet, quos an-
tequam perspicias noscasque, plurimum salis
cum ijs priùs delingas necesse est. Neq; hîc adeò
simulantur omnia, vt nihil intelligas, nihil vi-
deas, cum etiam more calculatorum, ingentes re-
rum summas sensusque, breuibus subductionibus
collectos, hinc inde apposuerimus. Cæterum ma-
teria, vt fermè tales solent, vna non est, alibi, quod
alicubi lectione compertum annotatumque, alibi
mores, sermones, consilia, amores, varijs casibus
euentibusq; mixtos, sub doctiorum sapientumq;
æstimatione circumferens. Ut agricolæ solent, in
vno campo, non far, aut siliquine solùm, sed hor-
deum, fabam, variaq; legumina serere, sicego, quæ
meditatio, remissio, labor, otiumq; attulerat, plu-

Terentius
Heautonti.

Obscuritas
excusatur

notis, que
bigg addita.

Materia li-
belli:

Varietas.

Comitiorum Sapientum,

ra quasi semina spargo, vt colligam; quicquid seu
questibus, seu cuicunq; vsui prouenerit. Inclina-
tior tamen ad posterius opus libellus est. Evidem-
potissimum
politica
scio, nullum iam hodie tanti opificium præ Politici
cæstimari, in eo nullius non propè iam calamos

In bac quis
labor recen-
tiorum.
& industriam consumi, ad illud sacrorum quoq;
hominum studia, relictâ diuinarum rerum com-
mentatione transferri, ibi sedulò occupari, cedere
præcepta, subiçere consilia, monstrare artes, do-
minandi secreta, vtilitatum compendia, callidi-
tatum diuerticula, ac vt Circe olim suis artibus so-
lebat, homines in sues, vrlos, leonesq;; sic illi Prin-
cipes suis præceptionibus, sæpè in monstra, inq;
eam formam quam finixerint, pro arbitratu verte-
re transformareq;. Mihi non sub religione Politici
scribenti, libertas erit alia. Sunt quoq; hic artes,

Quantum hic
datur politi-
ce.
sunt præcepta, sunt exempla, sed saltuatim & bre-
uibus scriptiunculis tradita comprehensaq;. Pote-
ris hæc vnde cunq; incepis, vbi cunq; desieris, &
quasi à se discedentia legere, & quasi cohærentia.
Sicut quidam lepusculis, capreisque, ac similibus
feris, subiecta domibus ponunt viuaria, vt & in
conspictu clausa venatio possidentes oblectaret o-
culos, & cum vsus epularum exigeret, feræ velut è
cella promerentur: ita hic sententias, exempla, no-
ua, antiqua, extera, domestica, in vnum cumulum
congesta, ac velut vincita habes, vt nec laboriosum
sit, quæ per autorum sylvas latent, uno velut se-

pto

Pars Prima.

pto clausa reperire, nec tædiosum, mixturā quādam rerumq; varietate oblectantia, sæpius visen-
da conuenire. Si non singula animo tuo respon-
derint, laudes voluntatem, ignoscas ingenio, me-
mor illius Varronis, *Neg. in bona segete, nullum esse spicū*
nequam, neg. in mala non aliquid bonum. Iudicia certè &
censuras ut antè præuidi, ita antè remoueo. Erit qui
aliquem posthabitū præpositumue, omissum negle-
ctūq; à me deprehendat, iudicio & malitia negabo:
dedi quos meminisse potui, in alijs si nomēclatores
mei defecere, quid hic meæ fraudis? Deinde, ne-
quaquam dignitatis cuiusquam arbiter iudexūe,
quod aliqui in cænis, idem in comitijs seruauit, nec
paucis loca atq; fercula quædam opima primaque,
cæteris vilia & minuta distribui, sed toris epulisq;
positis, perinde omnes dignitate, cunctisq; rebus,
ac mensā æquaui. Etiamne sacros & profanos? eti-
amne religiosos cū gentilibus inquies? Etiam. Ho-
spites enim tunc omnes & sapiētes atq; ad mensam
cætumq; non ad arā notamq; recipio. At enim mi-
nus seuera aliqua obijcies, & inter alias errores
admissos quoq; amores? Ut augeam adhuc, agnosco
culpā, amplector etiam, & errare quidē me sed cum
summis viris fateor. Scripsere plura doctissimi, gra-
uissimi, sanctissimiq; homines, nec tamen pollue-
runt sanctitatem vitæ suæ, præsertim qui nec volu-
ptatē cū Epicureis præceptis instruxerunt, nec à se-
ueritate lætitia omnē cum Stoicis exegerunt. Nos
Nam castum
esse decet pi-
um poetam.
Ipsum, versi-
culos nihil ne-
cessit. Ca-
tullus.

6 Comitiorum Sapientum,

verò vt hæc etiam paucula refugiamus, sanctiores
ipsis, seueriores erimus? vnde verò? Et sane, scri-
ptis omnis gratia à varietate paratur; quæ nisi adsit,
quantumuis sint illa iucunda & delectabilia, desi-
nunt videri, vbi similia pariaq; esse quocunq; mo-
do cōperunt. Deniq; vt semel omnibus occurram,
non inficiar me in hoc opere velut in itinere & pe-
regrinatione, alibi assedit, defecisse, alibi defle-
xisse, aberrauisse, obuijs & narrantibus accredidisse,
vmbras arborum, fonticulorum amēnitatem, auræ
refrigerationem, variaq; moras captauisse, multa
seria derelictui habuisse. Profecto enim ista, con-
cinnata potius in negotio, quam in otio fuere,
Quæ qualiacunq; inueneris, memineris etiam eos,
qui mortalium habitu sunt sapientissimi, multa
quoq; potuisse, non omnia. Nam nec vastitatem
immensæ tractationis de quacunq; re persequimur,
& cum lectione quæsita stylo committimus, ea
tantum sumimus quæ exigit materia, non quæ re-
rum natura; in quarum altera pauca sunt, in altera
omnia. Magnæ verò rei quantulumcunq; possi-
dere esseq; participem, abundè semper pulchrum
magnificumq; fuit, nec magis famam, vasta &
ingentia artificum opera, quam Homerus in nuce,
nauis Myrmecidis, quam apicula pinnis absconde-
bat, paruaq; alia habuere, siquidem nescio quo pa-
cto, notæ sæpe fuerunt magnorum ingeniorum
minima etiam compendia. Sed iam res quod ha-
buere ferant exordium.

Moni-

Iterata de-
precatio.

In verbosos
Gloquaces

Paruitas li-
belli non de-
mit magnitu-
dini ingenij.

Pars Prima.

7

Monita à Cleante Philosopho dantur, ingre-
dienti iter sapientiae omnisq; honesti.

Audiebam regionem esse, post tot sæcula, seu natu-
ræ ingenio, alia alibi in orbe sorbentis inferentisq;,
seu curâ hominum, haud pridem ortam comper-
tamue. Hanc, supra alia rerum miracula maximè
miram. Illic omnes sublimitates ingeniorum, o-
mnes subtilitates artiū, omnes cultus venustatesq;
literarum ingressis exhiberi vltroq; patere. Inde
velut ex aliquâ vrbiū, quas in excelsō lunaq; esse
& habitari putauit Colophonius Xenophanes,
quicquid vspiam agerent, quicquid cuderent do-
ctiores, perspicuē ac minutē videri obseruarique.

Ing. us in allegoriam

*Vrbes homi-
nesq; in luna
esse quis puta-
uit.*

Eandem ignauorum ignororūq; adeò impatiens-
tem, vt perinde illic, ac in Anglia lupi, in Scythia
asini, in Æthiopia equi, nasci aut viuere diu inue-
cti possint. Quæ, aliaq; plura multorum famâ fi-
deq; accepta, cum diutiūs pigeret non videre, iui,
perueni ad ipsam. Regionem obiecti in circuitum
montes, elataq; in cælum & ardua aspectu quoque
iuga cludebant. Quâ parte intercisa auulsaque
cacumina, cæca omnia & obscurissimis tenebris
nocte q; suffusa, & viam, & visum contratendentiu-
m suppressibant. Introitum tamen illâc esse fre-
quentia affluentium, præstolantiumq; vt ad limen
fieri solet hominum indicabat. Nam & yersos eò
vultus

*Nemo tam
rudis est ut*

8 Comitiorum Sapientum,

videti etiam vultus oculosque, & omnes tanquam ad mortiferam viam animas aduertebam stantes,

Tendentesq; manus ripe ulterioru amore.

Virg: lib. 6.

Enei:

Cocytum primò, venireq; cum cymba Charonem putabam. respexi: & quamuis per caliginem Cleanthem agnoui. Lucernam is manu tenebat, quā languescentem in tenebris lucem subinde oleo affuso reficiens, monstrabat euntibus viam. Hanc ego quoq; ad illum magno nisu per turbam molitus, cum proprius accedens, nauli loco præmium etiam offerrem, ille nisi conditione obligatum, me ducere posse negauit. Conditio erat, qualis aliquid de Eurydice Orpheo data. N E O M N I - NO R E S P I C E R E M. Nec valde dissimilem aliam, subsiliens in flammarum lucernæ fulgor oculis ingerebat. Erat autem præceptum Pythagoræ, his verbis auroq; ad lychni oram ductum, PER EANDEM VIAM NE REVERTERE. Eò altius quiddam, quò pluribus sententijs iuberetur suspicatus, quæ ratio tam duras leges decretaq; in aduenientes censisset, sedulò Cleanthem interrogaui. Nempè, respondit ille, ipse recti amor & virtutis studium, à quibus iam defecit, quisquis non timuit retrò reflecti aut reuerti. Non sapientiæ modò, sed omnis honesti summa in eo est, ire nitique, & spectare id solum, ad quod accingeris. Nam nec profectum quisquam in ijs inuenit, quæ post se relinquit, & dimissa ignauiae voluptatisq; via, ea- dem

Explicatio fa-
bulæ de Eury-
dice & Or-
pheo

præcepti Py-
thagore.

Ad conseque-
dam quam-
cunq; rem duo
necessaria A-
mor & Labor.

Pars Prima.

9

dem facilitate ac consuetudine repetitur, quā respicitur. Nemini licentia tuta fuit, nec quisquam ad magna peruenit, nisi qui se solicite custodiuit. Multorum annorum Pythagoras obseruauit silentium, quo non linguae taciturnitatē, quæ præclara quæq; edocet, sed affectum in animo obstrepentium & cupiditatum compesceret clamores. Ampla & pretiosa quidam patrimonia, in vnum redacta proiecerunt in mare, quò calcatis utilitatibus irent, pergerentq; ad virtutem sine omni respectu. Iucunditatem plurimi omnemq; indulgentiam, duris & asperis præfocarunt prorsusq; exegerunt ex animo, ne ex eâ, velut ex relicto cinere, latens quandoq; rediret resurgeretq; cupiditatum flamma. Nihil mollius ad sapientiam ac ad virtutem peruenitur. Custodiendus quoque est animus, oculi, aures, insistendum cæptis, pergendum, quærendum secretum, silentium, souendus iste manibus laboratus igniculus, fæcundus æterni alterius & illustris ignis, noctes ac tempora ad quietem & refectionem à naturâ data, in acerrimo labore & vigiliâducenda, tædium, fuligo, sudor lucubrationum bibendus. Cessit his quicunq;, aut ad blandiora respxit, iam sapientiæ possessione depulsus est. Hæc locutus, nihil postea abnuentem, solenni Philosophorum formulâ ad sapientiam initiauit S V-vramq; for-tunam utilis Epicteti Philosophi.

10
Explicatio s-
lentiū impera-
ti dīscipulis à
Pythagora.

Philosophorū
veterum au-
ßeritus.

B

grediendus

grediendus solitudinis & tenebrarum horror, ad omnem patientiam animum durauerat, res tamen tristis experiendo fuit. Iter contortum, impeditum, varium, difficile, & non vnâ laborum serie properantibus inefficax; modo eminentium saxonum scruporumq; acuminibus asperum, alibi subtracto in profundum solo præceps abruptumque, alibi declivi descensu, aut vbi terra immaduerat, imbre roreue instabile, lubricum. Igitur varia etiam tetraq; luctatio fuit, ut quòquo ventum erat, offendere, titubare, cadere, resurgere, exstantia corripere, & iterum ab ipsis adminiculis labi, corrue. Nec lassitudinem morâ aut quiete lenire contigit, subinde Cleanthe admonente ingerenteque, REMISSIO EST ANIMI AMISSIO.

Ita ægrè per viarum difficultates, continuamque ac velut æternam noctem, quam nec plane lucerna Cleanthis soluebat eluctatus, perueni tandem ad optatam regionem terramque. Mutata statim omnia, locusq; ipse beato ac felici aspectu, ita repente permulxit animum, ut fatigationem susceptosq; labores, nouus hospes spectatorq; contemnerem.

Regio sapientum, mores, opes, studia describuntur.

Cælum nullis nubibus nebulisue obductum, sed purum, serenum, & diurnæ lucis plenum, nunquam non in sole est. Aëris mira clementia, nullo noxio afflatu ingrauescens, & cum aliquo spiritu mouetur,

*Multa necesse
est in discen-
do facias im-
probanda, ut
efficias quod
aliquando pos-
sit probari.*

*Dictum Ma-
sonij.*

tur, sæpius auras quām ventos habet. Inde incolis ægritudo omnis ignota, languor, malaque senij. Multos videoas, vix credibile dictu, dispari ætate, dissitisque sæculis natos, ignotos, velut æquales, in vno temporum ætatumque consistere æuo, inuicem nosci, coire ad colloquia, Socratem cum Parmenide & Timæo, Paralum & Xantippum cum Protagora: iam Cottas, Lælios, Scipiones, inter quos aliquorum natuitas, vix aliorum attigerat vitam. Regionis forma pulcherrima, & velut vnicum exemplum in vno loco gaudentis naturæ. Illic herbidi apriciq; colles, inde florida prata campique, iuxta, nemora syluæque, iam fonticuli & strepentes riui, eo prospœctu varietateque, vt his modo illa, modo hæc sola, interdum simul omnia, gratissimâ mixturâ latentur. Quicquid est quo vita carere non debeat, nusquam est præstantius. Nihil otiosum, nihil sterile videoas, sed terram vbiique grauidam, quicquid desideres pleno gremio fundentem. Montes quoque in ea excelsi, non nivibus horridi incultique, sed Musis dilecti habitatiq;, videntes in imo lucis pubentibus, in sublimi sustinentes nemora nutantia. Celeberrimi sunt Parnassus, Helicon, Pierius, Cithæron. Sub ijs specus sunt antraque: in his quod subire vetet nihil horribile, sed amænæ umbræ & opaca suaue resonantia. Inter alia nobilissimum Corycium antrum, responsis & oraculis Musarum memorandum.

Fingendi li-
centia quam
& nos secuti-

Dialogi Pla-
tonis, Cicero-
nis.

Musarum
montes

fontes etiam, à quibus Po-
ta Musas ad sinuoso alueo terram lambens perfundensq; Hilis-
ferendam opē suis carmini- bus enocare, vt & arbores ex ripis alueorum marginesq; , & relu-
confuerunt. dum. Exiliunt propè adhærentq; inclyti fontes,

Hippocrene, Libetra, Pimpla, Castalius, & totam
sus fluuius. Aquæ vbiq; ita limpidae & perspicuae,
spensumue , propriâ imagine reddant annume-
rentque. In ijs prout otium lususque solicitat, na-
tare, lauari, perfundi Musis mos est. Imminent lit-
toribus villæ vicique, qui vmbrosis nemoribus se-
pti Academias, Lycea, Porticus, Exedras, quæq;
sibi suisq; vsibus sapientes construxere continent.
Hæc est regio Musis literisq; sacra, hæc facies, hic
visus eius.

Mores sapi-
entum.

Probitas.

Amor.

Sensus humi-
tus.

Cæterum quod rarum & par miraculo est, in tan-
tâ naturæ luxuriâ propè paratâ peccantibus, summa
incolarum frugalitas, summa continentia, summa
æquitas, nec vlli corrupti mores. Sunt etiam qui-
bus adeò contumax, & velut sui ostentatrix est pa-
tientia, vt inter prima reputent vltro tristissima fu-
bire ijsq; non lassari. Hac constantiâ in virtutibus
durati, magnam sibi libertatem fecerunt. Non
regem aliquem aut leges vt rectè faciant, sed quod
optimum in vita, se quisq; timet. Virtutes alter al-
terius tantò impensiùs amat æstimatque, quanto
maiорibus ipse abundat. Ad sapientiam , vix vlli
peruenire, qui se peruenisse credit, contingit. Pre-
tiosissimum inter cætera putant, intelligere quenq;
nefcire

nescire se quod nesciat, & cupere quod ignorat, addiscere. Hinc salutem inuicem precaturi adscri-
pturique, non *Salve Valeue*, sed NOSCE TE IPSVM
vsurpant. Ipsi nihil inter se simulatum habent, ni-
hil fictum; astu vacui, à fraude, affectatione, fuso,
auersi, à pretio incorrupti, simplices, sinceri, nu-
dis affectibus. Arrogantia in omnem vitam infa-
mis apud eos & probrosa est. Recte factorum
mercedem perfecti in conscientia ponunt, minus
perfecti in gloria. Nec tamen hæc ex toto etiam
ab ijs qui contemptum eius profitentur, abijcitur.
Gaudent plurimum æmulatione, quæ bene inéipi-
ens quanquam in aliquibus ad inuidiam latenter
serpit, tamen quandiu virtutum causa est, toleratur.

*Salutatio.**Simplicitas.
Candor.**Modestia.**Emulatio.*

Opulentiam eorum haud equidem inter magna
ponerem, nisi eam sua cuique virtus æstimatioq;
digna quæ noscatur pareret. Omnis eorum quæ-
stus ex ingenio & eruditione est. Beatiorem hunc
putant, quam si ingemant agris, terram scruten-
tur, expectent annos, mercimonia exerceant, atq;
fortunas, seu subditorum lacrymis sudoreque, seu
propriâ solicitudine, spe, metuue cumulent. Fi-
dem propè excedentia videre contigit ingeniorum
pretia. Viginti talentis vnam orationem vendi-
dit Isocrates. Aristotelis & Theophrasti libris, diu
in terra seruati atq; etiam à tineis corrupti ingenti
argento ab Appellicone Teio empti sunt. Pro pau-
culis Speusippi libris tria talenta annumeravit de-

*Divitiae sapientum.**Quæbus ipsorum**boc est, au-
reorum du-
decim milie-
bus,*

*hoc est mille
octuaginta.
aureis,*

*hoc est decem
aureorum.
milibus.*

*Liberalitas in
eos principum*

*Quantum
possint His-
tio-*

*Virgilus pau-
cis versibus
supra quinque
millia aureo-
rum meruit.*

lib. 6. in fine

ditque Aristoteles. Plato tres Philolai Pythagorici libros, decem millibus denariorum mercatus est. A Plinio seniore collectanea, Largius Licinius priuatus homo CCCC. millibus nummum licitari si venderebat ausus est, & Plinius tanti adhuc addicere noluit. Vnde ingentium apud eos opum coniecatio est. Nec suâ tantum industriâ ditescunt, sed expertuntur vltro, ornantur, locupletantur à principibus, qui & sibi eos in clientes parant, & à literis iplorum laudem, quæ opibus, regnis, voluptatibus superstes sit, emunt. Magna hæc mutuaque felicitas, & cui principes fauent, & cui docti fauentes. Nam omnes omnium virtutes tantæ sunt, quantas videri eas volunt eorum ingenia, qui vniuersiusque facta describunt, comparentq; tanti principes in suis virtutibus, quanti si scriptores fuerint in suis ingenij. Sic & præmia illic abundant, & opera vitæ. Innumerabilia in hac reputacione subeunt principum munificentia exempla, si quis persequi velit omnia. Ut eo quoque documento honor & diuinitæ literarum constent, paucissima pono. Octavia Augusti toror, Virgilio Poëtæ, Æneidis suæ libros recitanti, pro versibus in quibus dolore & sensibus confusa, ob memoriam Marcelli filij, morte sibi erepti, defecit, dena festertia pro singulis numerari iussit. Erant autem versus unus & viginti, inde initium capientes

*Heu miserande puer si qua fata aspera rumpas
Tu Marcellus eris.*

Vespa-

Vespasianus Rhetoribus tām Latinis quām Græcis, cuique centena millia assignauit, quantum hodie in vniuersum literatorum genus vix aliquis erogaret. Lysander, ob pauculos versus, Antilocho Poëtæ pileum argento impleuit. Nec recentior æuo sua pretia literas deseruere. Laurentius Valla cum Herodotum, Thucydidem, Polybium primus Romanā linguā loqui docuisset, ingentibus à Nicolao Quinto Pontifice præmijs donisque cumulatus est. hic ipse ab eodem aliquando interrogatus, cur tanto studio Græcas literas disceret, senex iam & in Latinis consummatus: Ut duplarem, respondebat, abs te Pontifex mercedem accipiam. Senatus P.q; Venetus, carminis elegantia oblectatus, Sannazario Poëtæ, pro singulis versibus, singulos centenos aureos liberaliter donauit. Ponam carmen dignum legi.

Viderat Adriacis Venetam Neptunus in vndis

Stare urbem, & toto ponere iura mari:

Nunc mihi Tarpeias quantumuis Iuppiter arces.

Obijce, & illa tui mania Martis ait.

Si pelago Tybrim prefers, Urbem affice utramq;:

Idam homines dices, hanc posuisse deos.

*boc est, duos
millia & quin-
gentos auricos*

*Qui primum
& quando ca-
pere libros
Grecos in La-
tinum vertere*

*Sannazarius
à Senatu Ve-
neto pro sex
versibus aure-
os accepit sex-
centos.*

*Temperantia
sapientum*

Verum sunt quidem hæc opulentia sapientum ampla testimonia, sed virtutis ipsorum opera adhuc maiora. Non inde cuiquam sui pretium, non pristinæ vitæ obliuio, non adulatio adhæret. Sicut in comparandis diutijs omni solicitudine, sic in possidendis, vitijs nostris carent. In aliquos etiam nulla

nulla sunt præmia, & multi tamen, non alio præmio, quam de alijs bene merendi, in eâ, in quâ ingenio valent, persistunt curâ.

*Encyclopedie
veterum.*

*Duo fomenta
& principia
scientiarum.*

Olim integrum & diu plenam, Virtute animi & & Vocis vñu cludebant profitebanturque sapientiam. Hic apud illos fuit absolutus circulus orbisq; doctrinæ, hic perfectus globus omnium scientiarum, hic concentus harmoniaque concordantium inter se disciplinarum. Nam cum duo tantum aduerterent, quæ homo supra cætera animalia maxima accepit, Animum & Orationem, nullum doctrinæ genus, nullam in qualibet facultate cognitione, nullam scientiam esse putauerunt, quæ non aliquo nexu fideque alicui ex his coniuncta addicta; esset. Igitur vtraq; quemadmodū iuncta naturâ, sic apud eos professione & officio manebant colligata copulataque. Nunc scissum est istud doctrinæ corpus, disciplinæq; in membra diductæ, plurimæ iam factæ sunt. In partitione pñè sine modo, nemo ipsarum, nemo præceptorum, & in quam quisque eat inducatue alios, ineat computationem. præcipua quæ de ijs annotauerim referre non pigebit. Ergo & sequentium nunc nemo non, omnem artium & disciplinarum velut factum, à Virtute animi & Vocis vñu edi procreariq; cum prioribus consentit profiteturque. Nemo non etiā per amplum magnificumq; putat, vniuersum doctrinæ corpus, ex omni varietate doctrinarû compositum ab uno homine

homine teneri possiderique. Sed cum paulatim exolescere marcescereq; primitiuam in se ingeniorum fæcunditatem, audaciamq; pristinam & laboris patientiam deficere sensissent, tantæ moli impares, quod vnum fuerat, in partes digessere, atq; portionibus excolere, quam quisq; suo ingenio se posuisset, cæperunt. Hinc quoq; cæpit artium numerus, vt multi inanis gloriæ cupidi, quò subtilius & numerosius aliquid diuisissent, hòc le feliciori ingenio crederent. Hinc inter conscos suæ infirmitatis orta diffidentia verecundiaque, vt aliqui mutato nomine, in posterum non Sapientes se, verùm Philosophos & sapientiæ studiosos vocari permitterent. Hinc Academiæ inductæ, in quibus, vt quod nemo amplius vñus poterat affectabatque, ita universa doctrinæ summa, ne periret, inter Doctores viritim distributa, in cætu saltē profitentium custodiretur retinereturque. Igitur extanto disciplinarum numero, cum seorsim vñusquisq; sibi aliquā, opportunā deriuatione secerneret, duplēcē Virtutem animi statuerunt, Appetendi vnam, alteram Cognoscendi. Qui ad posteriorem, & solius veritatis ac intelligentiæ professionem se contulerunt, tres in hac ipsâ sibi, velut progressiones quasdam & gradus, quibus animum ad perfectæ veritatis cognitionem perducerent, construxerunt. Mathematicam, Physicam, & Metaphysicam. In Mathematicâ rerum visibilium formas visibiles contemplan-

*Quando Phi-
losophorum
appellatio e.s.
pu, cuius au-
tor fuit Py-
thagoras.*

*Quando Aca-
demie.*

*Contemplative
Philosophie
diuisio.*

do, veritatis cognitionem ab iis prius, quæ oculis sensuiq; patent incipiunt. Ab hâc altius ascenden-tes, à rerum visibilium, ad non visibiles causas per-uestigandas transeunt. Postea ad summum fastigi-um speculationis connixi, in rerum non visibilium non visibilibus naturis indagandis consistut, quam partem etiam Theologiam appellant. Hæc apud eos est veritatis speculationisq; perfectio, hæc summa, hæ partes eius. Cæterum in primis Mathema-ticam magnificiunt, non oblectatione aut affe&tu, sed tanquam faciat ad cæteras. Nam nec in rebus quas cernimus aliquid iungi, aptari, coire, sine nu-meris posse credunt, & mutuata à Mathematicâ de-monstrandi certitudine ac subtilitate, tutiorem expeditioremq; ad quæq; occultissima in alijs fieri aditu existimant. Hinc præ foribus edictum di-scipulis præfixerunt, ne quispiam nisi probè Mathe-maticâ instructus, ad aliarum scientiarum specula-tionem accedat. Ac non vnam his etiam & inte-gram, sed in plura membra sectam, & multiplicem præcipiunt. Geometriam, quæ æqualitatem, Ari-thmeticam, quæ numeros, Opticen, quæ umbras o-culorumq; deceptiones, Musicam, quæ sonos, A-strologiam, quæ cælorum astrorumq; motus consi-derat. Physicam quoq; duabus partibus finiunt. Alterâ quâ in Vniuersi & mundi magni contem-platione versantur: alterâ qua in Hominis & mun-di velut parui fabricam, naturam, affectus cogno-scendos

*Mathemati-
ca apud anti-
quos pretium,
Pythagore o-
pinio.*

*Platonis pre-
ceptum.*

*Mathemati-
ca duisq; &
quinq; species*

*Naturalis
Philosophia
duisq;*

scendos feruntur. Hic Medicinam reponunt. in qua per vias procedunt varias, aliâ, quâ Victu, aliâ, quâ Medicamentis, aliâ, quâ Manu & ferro medentur.

Neq; illi, qui voluntati & appetitui leges describunt, nihil præter rectum & velle & facere docent, pauciores aut inter se, aut inter Virtutes faciunt ordinēs. Alij sunt, qui procul à turbâ & negotijs amotis, sibi ac cælo vinunt, solis se inferendo diuinis. In hoc veram sapientiam, in hoc solidam beatitudinem collocant, superna requirere, ijsq; sociari virtutum imitatione. Vnde & has certis gradibus, ac officijs distinguunt. Prudentiam vocant, mundum & quæ in eo sunt præ diuinis despicere, in se omnia reponere, ab opinionibus vulgi recedere. Temperantiam, sub iugum rationis cupiditates subijcere, easq; non reprimere modò, sed ipsarum prorsus obliuisci. Fortitudinem, mortem non timere, sed perpetuò meditari expectareque. Iustitiam, consentire in omne virtutis obsequium. Alij vero sunt, qui alijs consulendo, non se sibi tantum, sed etiam humano generi natos arbitrantur, summos, medios, infimos monitis salutaribus & hortamentis imbuunt, vt, quoq; modo inter se viuant, vrbes suaq; tueantur, parentes venerentur, liberos ament, proximos diligent, libertatem exerceant, communī saluti prouideant, docent. Hæc omnia sub tria velut capita & scientias colligunt. Ethicam, quæ priuati

Moralis Philosophia d'uisio.

Philosophorū qui se à repub. sequestrarunt virtutes.

Philosopherū qui repubicas ordinariū studia.

priuati cuiusq; mores fingit, refingit, emendat; Oeconomicam, quæ familias remq; familiarem attemperat; Politicam, quæ magistratibus, ciuitatibus & regibus præest. His velut in adminiculum Iurisprudentiam dederunt, quæ in omnibus tranquillitatem custodiat, vetando, iubendo, pænas irrogando, sarta tecta que quicquid illæ præceperint, homi-

Artes societatis cōmodog; hominum seruientes.

Manus sapientie ministra.

Iam verò dementis otij esset scrupulosius per-

qui, in quot sermonem & orationem artes, in quot eloquentiam species abduxissent. Quantæ eorum diligentia ingenijque fuit, exigere ad vnguem voices & syllabas, verba singula explorare; deinde cōponere & ostendere, quæ ex iis essent magis propria, quæ magis ornata, quæ plus efficientia, quæ melius sonantia, quæ sermonibus, quæ concionibus, quæ concitandis, quæ remittendis affectibus, quæ grauitati ac seueritati, quæ lætitiae ac voluptati aptiora? quorum compositione, hiat, interstict, ac velut laborat, quorum concursu, confragosa sonat asperaturque, quorum mollitie, iucunda & dulcis defluit oratio? Quid illæ tam multæ, tam variæ, ingenij quidem artes, sed inanes & frigidæ, nisi artificio

tificio linguae vestirentur commendarenturque à
præparare, dissimulare, insidiari, blandiri, cauillari,
illum inopinatò laceſſere, huic ſubitò iectum reſer-
re, alium ſale defricare, facetijs ſuſpendere, ioco,
nutu, riſu, eludere? Quid illæ multiplices dicendi
notæ & characteres? quid eloquentium à ſe inui-
cēm, velut in aliquo populo, sermonis agrestium,
urbanorum, & aulicorum diuersitas ac diſtinctio?
quid separati atq; in ſua quiq; regione, velut arato-
circumducti, hīc Poëtæ, illic Historici, alibi Orato-
res, ut ſi vel latum vnguem pedem eſſerre, partes
vicesq; permutare velint, ſtatim agnoscit, & intra ſu-
os terminos redigi cogiqt; poſſint? An vnicā & ſimi-
plici arte creduntur Oratores, circumfluentibus vni-
diique eloquentiæ coipijs diuitijsq; fluere & redun-
dare? Historici, orbem quendā narrando voluere,
ſuſpensamq; orationem ducere? Poëtæ, voces ex-
tendere, contrahere, pedes illarum in vincula po-
nere, per certa numerorū tempora percussionumq;
modos ludere, decurrere, ſubſiſtere? Iam horum
ipſorum, tam diues, tam varia, tam fæcunda opera,
quo opere narrari poſſet? dum aut hic tragædorum
cothurnum, aut ille comædiarum ſoccum, alius he-
roici carminis grauitatem, lyricorum iucundita-
tem, elegorum delicias, iamborum amaritudinem,
epigrammatum lufum, aut quamcunq; aliam ſpeci-
em Poëſis habet ſequitur, ingenioq; ſuo obſequi-
tur. Nimirum illud hīc, quod in tabulâ orbem ter-

Character,

Oratorum,

Historicorū,
Poetarum.Poetice uber-
tas & facun-
ditas.

rarum describentibus, sufficiat, posuisse potius totum, quam omnia, aliquo dispendio multitudinis, nullo detimento veritatis. Aequè immensum ac difficile esset, in tantâ disciplinarum varietate, ire per singulorum opera. ab uno noua conquiri, ab alio aliorum inuenta excoli, hunc vetustis nouitatem, alium nouis auctoritatem, illum obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubijs fidem, rebus naturam, naturæ sua omnia reddentem, referre. Quam pulchrum deinde & concors omnium silentium? quam diligens & sine cessatione in uno quoq; opere sedulitas & intentio? Non irreparabilem modo temporis fugam, sed insidiosissimam existimant, in quâ *Nihil agendo homines, male adiungunt.* *M. Catonis* *gere discerent.* Amant plurimum secessum & solitudinem, cœu ita liberi & sibi ipsis relictæ, felicius efficiat in quod incumbunt, non oculos animo, sed animum oculis sequendo, qui eadem tunc, quæ mens, videt, quoties non vident alia. Igitur his alijsq; noscendi spectandisque diutiüs illic deditum, cum nihil non aliqua admiratione teneret delectaretque, nouam curiositati meæ fortuna præbuit materiam. Eius quæ origo fuerit, ut ordo processerit, narrare incipio.

*C. Cornelij Taciti historias coruus intercipit:
annales crabrones populantur.*

*Duplices de
rebus gestis* Alterum historiarum C. CORNELIUS TACITVS de Cæsarum vitâ gestisq; promouebat opus.
Descripti

Pars Prima.

23

Descripti ab eo tres principes, & Vespasianus bello
iam forisq; monstratus, qualis in pace fuisset scri-
bendo paulatim vrbi admouebatur. post eum Ti-
tus & Domitianus, sed priusquam singuli describe-
rentur, quales tunc fuissent in fortunâ patris filij
notabantur. Cum hæc maximè agenti conquiren-
tiq; Tacito, repente suspensis demissus alis coruus
improuisus aduolat, rostroque pennâ è manu scri-
bentis extractâ, deinde sublimis abit. Tetigit prin-
cipio paulum ea res Tacitum, mox tamen contem-
ptorem talium vt fortitorum, seu quia non vitan-
tur quæ fato manent, perinde obseruata quâm ne-
glecta, religione soluit. Igitur alio ad usum acce-
pto calamo, cæptæ historiæ & stylo rursus incubuit.
Iamq; ad supremum diem Hierosolymæ, belliisque
cum Ciuiili gesti venerat, cuin ingens rursus crabro-
num aduolantium examen, lucem obtendere, sta-
timq; in Annales, prout fortè pone latus iacuerant,
ferri videt. simul, alios alibi densissimis probosci-
dū punctis, integros libros ehibere, alios in globos
nexos & coliarentes, turpi liturâ per versus se
voluere, alios pedibus apices literarumq; notas car-
pere, & tristi murmure bomboq; circumstrepere,
aut contactu omnia polluere. Dira tunc operum
Taciti vastitas fuit. ex ea ultima Seiani, quâ post
Liuiam Augustam viguit ceciditq; potentia. po-
pulati quatuor à morte Tiberij libri. Neronis no-
uissima facta oblitterata, & vt eiusdem temporis au-

scripti à Ta-
cito libri.
Historie ab
excessu Nero-
nis ad exces-
sum Domi-
tiani,

qui iacturam
à Hierosoly-
ma expugna-
tione belloq;
cum Ciuiili ge-
sto passi:
Annalum, ab
excessu Augu-
sti, ad excess-
um Neronis,

quorum etiâ
iactura & de-
fectus percur-
runtur.

In uniuersum

tores

S. Hieronymus restatur triginta libros Tacitum rerum gestarum scripsisse.

Formula Taciti pro fide usurpata.

tores tradidere, ex triginta libris quos ab Augusto, usq; ad principatum Dini Neruæ, imperiumq; Traiani deduxerat, duodecim vtrâq; sorte in vniuersum aboliti. At enim uero tunc Tacitus, eo damno

visuq; exterritus, in silentium primò mestitiamq; defixus stare, mox in omnem partem se vertere, infestas volucres, puluere, sonitu, manu abigere, deum hominumq; fidem requirere, nullis se ratio-

nibus petitum, nihil ira, nihil studio cuiusquam à se tradidum, omnium culpam causamq; procul inde habitam dicere.

Justus Lipsius Cor: Tacitum conuenit, solarium suamq; Constantiam afferens.

Iusti Lipsij studium.

Commodum interea IVSTVS LIPSIUS veniebat, vt apparebat à studio & lucubratione; nam & coacti sub frontem liuentes oculi, & vultus oraq; in insuetum pallorem albentia, curā peruigiliumq; monstrabant. Ipse siue labore lassus, siue ad Romanæ maiestatis pondus, cuius habitum induerat, operosum passimq; restitantem gradum mouebat. Cæterum diligenter ipsum intuentibus, nihil in cultu eius arrogans, aut in claritudine noua, nouum fuit. Tunica è vetustâ lanâ, euulsis ex priscorum vestimentis licijs sparsim contexta: eadem minimè fusa aut fluitans, & citra humeros definens, vlnas, intentosq; macie neruos nudabat. Internitebant alicubi laticlavi resuti Tacito, & subsutum Senecæ,

Tanguntur aliqui eius libri Libri Electorum,

sed quorum vtrumq; amictus occultabat togâ, illâ circumuoluens ad eum prorsus modum, quem ipse aliquando

aliquando priscais Romanis adscripserat. Hoc ergo habitu incessuque, ac velut etiam timeret errorem, omnes per viam pilas columnasque, & antiqua marmora notando ad Tacitum ibat. Ad quem admisius, cum rem omnem ipsumque, fragmenta infelicium operum deplorantem vidisset, substitit per stuporem & silentium, mox multo dolore questuque complexum, verbis protractaque è sinu Constantiā solari parat. Eripit statim orationem Tacitus, ac ne manifestus nimis doloris deprehenderetur, sermonem prior ita occupat.

*Oratio Cor: Taciti de suis libris & eorum
politica.*

Liber de Con-
stantia.

Cento ex Ta-
cito.

a Ann: lib. 3.

b Ann: lib. 6.

c Ann: lib. 3.

d Ann: lib. 4.

e Ann: lib. 2.

f Ann: lib. 3.

g Ann: lib. 6.

h Ann: lib. 4.

i Ann: lib. 6.

k Ann: lib. 2.

l Ann: lib. 1.

m Ann: lib. 12.

n Ibidem.

o Ann: lib. 3.

^a Defleo equidem, Lipsi, iacturam istam semperque deflebo, sed neque prohibeo, quo minus ^b quicquid istud contra me sermonum est, ^c & si qua in me aduersa finguntur, ^d hocce damno pientur. ^e Aut enim occulta quorundam in me insectatio est? ^f Omnia hic interpretationibus subuerti, & verba factaque praeue detorqueri, ipsam conuiualium fabularum simplicitatem in crimen duci, ^h seu quispiam loqueretur, seu taceret, crimen ex silentio, ex voce: ⁱ abditos principum sensus & si quid occultius parant exquiri, ^k recludi ostentarique nouas artes & dominationis arcana, ^l speciosa verbis reiaanlia aut subdola. ^m Quem deinde omnium finet, ⁿ nisi ut sint quoque in ijs, quae mox usurpentur? ^o His imbui hu-

D

manum

p Ann:lib.4. manum genus, id primum ex me discere, & p quantum iam superesse, vt præceptorem palam induam?
 q Hist: lib.1. Illa illi, Lipsi, aduersum me, sed in discursu ac te-
 r Ann:lib.1. nebris, & rerum omnium confusione. Quotus-
 quisq; enim est, qui rem publicam videat? qui men-
 s Hist: lib.1. tes singulorum dispiciat? nec modo casus euen-
 tusque rerum, qui plerunq; haud fortuiti sunt, sed
 t Hist: lib.2. rationes etiam causasque noscat? Breui auditu,
 v Ibidem. quamuis magna transeunt, aut consensu erranti-
 um vel adulantium abrepti, vt in magnis mendaci-
 js, multis etiam interfuisse se, eaq; vidisse affirmant.
 x Ann:lib.3. Si quis vero industriam adferat, non ex rumore
 y Ibidem. statuat, cuncta proferat, quibus innocentia rerum
 z Ibidem. subleuari, aut si qua sit iniquitas coargui poscit,
 a Ibidem. iijdem illi, omnia verti, splendidissimo cuiq; infa-
 miam parari, neminem criminis expertem clam-
 b Ann:lib.4. tant. At nulla æquè nunc iam, vt multi rentur vir-
 c Ann:lib.16. tus, quām dissimulatio diligitur, eòq; etiā sagacius
 d Ann:lib.1. omnia rimantur, quo altius reconduntur. Ita ad
 introspecticias Senatus optimatumq; voluntates,
 e Ibidem. à Principe quanquam consilio nisi suo usuro, in-
 f Ann:lib.3. ducitur tamen deliberatio. A senatu sp̄ciem ma-
 gis in amicitia principis an vim teneat, suscipi-
 g Ann:lib.4. tur abrupta contumacia aut deforme obsequium.
 h Ann:lib.16. Apud liberos reiq; publicæ peritos, duplex est ad
 i Hist: lib.1. honores & opulentiam iter, modò tradito more,
 k Hist: lib.2. quæcunq; Principis adulandi, saepe eadem ex mo-
 l Hist: lib.1. ribus eius damnandi criminandique. SECVRIS-
 SIMVS

SIMVS verò idem, ac breuissimus discernendi talium modus est, si consideraueris, cuius postea quisque, ^m aut cito obliuisceretur, aut nimium meminisset. ⁿ Pleraq; nullis etiā disquisitionibus, ^o quamquam premuntur erumpunt: alia honestis vocabulis velata, facta ipsa arguunt, & in multis ^q haud semper errat fama. ^r Nihil arrogabo mihi curæ vel fidei, vitia certe, quibus ignota ingenia, & nullis calliditatibus experta, imbuere dicor, non ^t me magistro aut ab antiquis hominibus, mundus ^v didicit aususq; est. ^x Inuisos in honorem adoptandi, iactantiā gloriāque ad posteros, ^y an vnicum ad hunc diem Augustus exemplum dedit? nempe etiam solus Tiberius, ^z specie recusantis, quod flagrantissime cupuerat, monstrauit plerisq; suscipere officia, velut ^a negare & rogari desinerent? ^b Eadem Lipsi cuiusq; erunt aulæ mala, æquè grauia, dubium an æquè excusata. Non amouebuntur vñquam ^c Sallustij, qui Tiberios moneant, ne vim principatus resoluant, cuncta ad Senatum vocando. Non desinent ^d Mutiani, qui proprijs opibus, Principes iuent, largiendo priuatim, quod lautiū de republicâ sumant. Aderunt ^e Egnatij, auctoritatem Stoicæ ^f Hist: lib. 2. sectæ præferentes, habitu & ore, ad exprimendam imaginem honesti exerciti, cæterū animo perfidiori & subdoli, libidinem & avaritiam occultantes. Inuenientur, ^f qui consulatus & sacerdotia adepti, procurementem alij interioremq; potentiam,

^m Hist lib 2.ⁿ Ann: lib. 1.^o Ann: lib. 3.^p Ibidem.^q In Agricola.^r Hist: lib. 2.^s Ann: lib. 10.^t Ibidem.^v Hist: lib. 2.^x Ann: lib. 1.^y Ann: lib. 12.^z Ann: lib. 1.^a Ibidem.^b Hist: lib. 1.^c Ann: lib. 1.^d Hist: lib. 2.^e Ann: lib. 16.^f Hist: lib. 1.

g Ann:lib. 1. am, agent ferentq; cuncta, odio & terrore, s quos
 ex pauperibus factos diuites, ex contemptis metu-
 h Hist:lib. 3. endos, h exitiosius fuerit, quam Principem spre-
 i Ann: lib. 1. uisse. Reperientur, quorum in oratione, plus di-
 k Hist:lib. 3. gnitatis erit quam fidei, k qui factum esse scelus
 l Hist:lib. 5. loquentur, facientque. Irrepent non pauci, l qui-
 bus honor sacerdotij, firmamentum potentiae assu-
 m Ann:lib. 3. metur, m qui legibus constricti, iisdem mox ac vin-
 clis exoluti, aliorum domos, fora, etiam rempu-
 n Hist:lib. 1. blicam regent, qui n palam laudabuntur, secretò
 o Ann:lib. 3. male audient. o Exequi alios haud institui, præci-
 puum tantum munus annualium reor, vt neq; virtu-
 tes fileantur, & vt similibus dictis factisque, ex po-
 p Ann:lib. 4. steritate & infamia metus sit. p Ingentia aliorum
 bella, expugnationes virium, fusi, captiq; reges, re-
 tineant & redinregrent sanè legentium animos; mi-
 q Hist: lib. 1. hi non sine vsu fuerit, q fidem, libertatem, amiciti-
 am præcipua hominum animiq; bona disquirere,
 r Ann:lib. 16. vnde cuiq; exemplum præcauendi fiat, vt fraudi-
 bus inuolutos & flagitijs commaculatos, ita specie
 s Ann:lib. 4. bonarum artium falsos & amicitiae fallaces. s Nam
 pauci prudentia, honesta à deterioribus, utilia à
 t Ann:lib. 16. noxijs discernunt. t Viderint igitur isti obtrecta-
 tores, mihi ante hac ignoti, quo nomine sint, quas
 artes exerceant, pro me res ipsa erit, & experimen-
 v Hist:lib. 2. tum, postquam v successerint, alij potius homines,
 x Ann:lib. 4. non alij mores. x Suum cuiq; decus posteritas re-
 y Ann:lib. 2. pendet, obijcientibusq; mihi callidas artes, y aut
 non

non credent homines, aut non ignoscant. ^z Dole- ^{z Ann: lib. 4.}
bunt vicem Taciti, etiam ignoti, nec deerunt qui
amissa requirent, & relicta comprobabunt, ^a obuiâ
rerum similitudine & satietate. Hæc Tacitus: ^{Tangatur cō-}
dictoq; statim eductum ab aure calamum, velut ^{mentarij Li.}
in ius corrigendi quæ superessent, Lipsio porrexit. ^{psj in Tacitū-}

Sermones obiectaq; in Tacitum allata ^E
soluta.

Mouerat interea famam casus Taciti, mox rumor
trudendo rumorem, postquam leuiter audita alij in
alios, hi in plures transferunt, latè crescebat. Igitur
multus vbiq; de Tacito, & pro affectu cuiusq; varius
sermo. Quidam, ad vetera & inania reuoluti, da- ^{Arguitur Ta-}
mnum illius, ut pñnam magni reuelatiq; ab eo ali- ^{citus.}
cuius secreti accipiebant differebantque. Alij rem
aliò trahentes, sumptam quidem ex ipso vltionem,
sed quod impiè hominibus approbare voluisset,
non esse curæ dijs securitatem nostram, esse vltionem, dice- ^{Hist: lib. 1.}
bant credebantque. Plures merito quoq; id ipsi ac-
cidisse lætabantur, quod in Christianos contume-
liosus, eorum exitiabilem superstitionem, in urbem cum ^{Ann: lib. 15.}
aliis atrocibus & pudendis corfluxisse dixisset. Addebat,
pridē immò ad interdictum autorem venire opor-
tuisse, ob corruptam faenorū voluminum verita-
tem, multaq; scripta in Iudæos probra. Quò enim
hæc de illis pertinerent? *Sue ipsos abstinere, memoria* ^{Hist: lib. 5.}
cladis quod eos aliquando scabies, cui id animal obnoxium,
turpauisset? Longam elim famem crebris etiamnum ieiunijs fä-

teri? circumcidere genitalia ut diuersitate noscantur? pluraq;

Defenditur alia, ridenda, falsa, inania. At quibus altior intellec-
tus, hæc damnumq; Taciti, non minori pro illo
dolore, quam pro se curâ metuq; excipiebant. Quæ
enim deinde futurum, qui ex ingenio æternitatem
aut reuerentiam posterûm spe præsumat, cum eo
reciderit labor hominis, supra cæteros scriptores de
ad primum posteritate benè meriti? An vero Tacitum eo de-
liquisse? quod vñus alteruè infensus & inscius, in
libera eius veritate, malignitatem quæsiuisset? quod
perpetua secreta & callidam prudentiam putauis-

ad secundum set? Sancta sit Numinis mentio & reuerentia, pæ-
næ tamen & beneficij, an non sæpe quendam velut
orbem notari, vt perinde vtrorumq; vices, atque
mores hominum vertantur? Ergo dum olim Ca-
milli, Curij, Scipiones, aliaq; virtutum potius,
quam hominum nomina viguissent, dum nulla san-
ctior, aut bonis exemplis dñior, res publica fuisset,
dum paupertati & parsimoniae constans honor
mansisset, fuisse tunc curæ dijs non securitatem mo-

cui ipsem dñ, sed felicitatem & victoriam nostram. At post-
subiecit ratio- quam pollutæ ceremoniæ, magna adulteria, vix vil-
la bona exempla, sterile virtutum seculum, aut ob-
eas certissimum exitium, concessâ tantisper mutan-
dis moribus securitate, quid impium dicto, fuisse
postea curæ dijs, scelerum vltionem? nisi cuiquam,
plena exilijs maria, infecti cædibus scopuli, hau-
stæ & obrutæ vrbes, crebra cælo terrâq; prodigia,
fulminum

fulminum monitus, ludus & iocus, ut quandoq; nobis, commissis inter se gallis gallinaceis, sic dijs ex hominibus, factus fuisse videatur. Cæterum, iece-
rit sanè aliqua Tacitus irreligious in Christianos, at quanta illa qualiaq; aut quomodo ei obfutura, cui religio cultusq; in tuto manet? Neq; vero etiam de Iudeis apud alios sinceriora legi, aut tunc pri-
mum à Tacito tradita, qui in alijs incorruptus, quid mirum, si circa ipsorum ritus & ceremonias, sacer-
dos imperitus peccauisset?

*ad tertium**ad quartum*

*de Iudeis ab
surdiora scri-
psere Plutar-
chus, Strabo,
Democritus
apud Suidā.*

Querela & incommoda libros scribentium ac ijs incumbentium.

Hæc pro Tacito: illud quisq; sibi; Nihil sine peri-
culo ad posteros mitti, multa æuo ipso imminui aut
desinere, pleraq; statim hominum iudicijs & cen-
suris dedi, nec spongijs tantum, linguis, ferulis,
quēis in libros olim sœ uitum; sed durare adhuc pro-
scriptiones, ignes, & si quispiam in se aliquod cri-
men reformidat, de illo supplicium ex studijs sumi.
Rariora tamen hæc: at quot esse, qui alienis operi-
bus falsa nomina apponant, vera submoueant, bona
contemnant, libros inspectis procul titulis pro per-
lectis habeant? Neque cuiuis æstimationem etsi
contingat prodesse. Statim enim adesse correcto-
res, qui in iactationem eruditio[n]is, in alieno ope-
re suis se formulis acuant, *Hoc ita accipio: ita hunc lo-* Criticorū au-
cum restituo: hoc felicius, illud emendatus: hac verba velim mule. *& for-*
traixi: hoc deleo, interpungo, ita emenao, firmo, corrigo: il-
lud

*Id facinus Ca
ligula, de quo
Suetonius in
ipsius vita.*

tud ab antiquo rito: istud sexcenti lapides & nummi testan-
tur: à me est, nam libri errant: repone, mea fide & iussu: sic
lege, alii etiam inuitū, ac perinde optimum quenque
commentantium libidine copiaq; confundi com-
maculariique, vt publicas vias, à frequentiā vl-
tro citroq; frequentantium comeantiumque, pul-
uere aut luto repleri. Satis cuiq; magno, id ipsum
quod Tacito euenisset, exemplo esse, multorum ca-
lamos ab oculis hominum auferri, nomina sœuiūs
quām à corūis cadauera rodī, per alienæ famæ stra-
gem sèpè iter ad gloriam quæri, autorum scripta,
fædiūs quām hortos à crabronibus depasci, subdo-
lè compilari, nulla fide, nullo pudore, nec iudicio
distorqueri, confundi, præcipitari, interuerti, ali-
bi falsa pro veris, adscita pro natuvis, nouitia pro
vernaculis, supponi, oblini. Non vnuis hæc litera-
torum, aut breui assensu, sed sicut indigna vbi se-
mel prorumpunt, difficile postea cohibentur, ita
suos quisq; cum alijs iungere questus, numerare la-
bores, noctium vigilias referre, eluctata per æstum,
frigus, duram pauperiem studia: quidam ad eos
vngues, obsitos scholarum puluere vultus, curuata
assiduo accubitu membra, maciem, pallorem, de-
formitatemq; aliam ostendere.

*Noua prodigia Sapientes terrent, quibus procu-
randis T. Liuius deligitur, per eumq; comitia
ad urbem Sapientia indicuntur.*

Vtina be ta- Commotis per diuersa mentibus, nouus prioribus
nuatius

*Interpretatio
superioris al-
legorie de cor-
uo & crabro-
nibus.*

nuntius adjicitur; Coruum flexo retro volatu, super domum Taciti sedisse, illic ablatam Tacito pennam deglutiuisse, horrendam postea vocem velut strangulati edidisse. auditos alibi bubonum gemitus. Athenis sacrum Palladi olearum nemus, miluorum, vulturum, aliarumq; dirarum volucrum planctu consonuisse. Iam, visas bipedes capras, fætus aquilarum à noctuis pastu abactos, pluraq; alia, facilitiori vulgo ad accipienda differendaque talia, dum quæ natura perculsis est, post experimentum tristiora metuuntur. Sed præcipuum pauorem T. Liuius intulit. Is iam inde, vt in monte Albano lapidibus pluere vidisset, magnis paruisq; superstitionibus obnoxius, tunc quoq; religionibus omnes implere, quæcunq; in omina & prodigia vertere: simul monere, ne quoquo modo visa auditauè spernerentur, nec quicquam priuatæ aut publicæ rei ageretur, quando aues inebræ & arculæ, sospitandis fortunandisq; rebus inauspiciatæ, non admisissent. Ita libris Sibyllinis, ita disciplinâ Hetruscâ traditū, placanda prius esse numina, procuranda prodigia, vbi cælesti religioni satisfactum fuisset, tum demum remittendum iustitium & ab opere cessatio. Mirum quanta viro, cùm cōponendis patrum plebisq; certaminibus pridem spectato, tum lacteâ dicendi vbertate semper diuinatus facundo, fides fuit. Nil recusatur res etiam ad ipsummet defertur, peritum humani diuinique

bes bonis do-
ctisq; non con-
tingerent.

Interpretem
tamen arco:
abeat, nec hic
dragman-
petat.

Ferunt Gre-
gorium Ma-
gnum Ponu-
ficiem crebris
prodigiis &
superstitione
Liuij offensū,
à bibliothecis
suis historias
eius amauere
voluisse.

Ita de eo Ta-
citus: Alij di-
scordias con-
sulam ad-
versus tribu-
nos, agrarias,
frumentari-
asq; leges, ple-

Comitiorum Sapientum,

34
bis & optimis certamina libero egressu memorabant.
Hist. lib. 4.

juris, & qui vnuis optimè priscos ritus, Flaminum, Fecialium, Saliorumq; carmina & formulas, ipsam deniq; linguam, sermonemq; Aboriginum nosset. Enim uero publicè priuatimq; magnificentum id amplumq; Tito Liuio, qui omnium, quæ ageret diceretue ostentator, hanc quoque rem, ut claram expectatamq; faceret, omnem literatorum populum, edicto ad Comitia, in urbem Sapientiae, venire iussit. Sed haud longum fuerit, celeberrimæ urbis, præcipua saltim & strictim, neq; enim ita ubique reperias, referre.

Vrbis Sapientiae descriptio.

Conditores eius.

Autorem eius vetus memoria Apollinem facit. Fama recentior est, à Minerua conditam, deæq; ex capite natæ, inter principia operis, caput humanæ specie apparuisse. Hinc eadem de ipsâ ac Româ olim periuasio, æternam inclytamq; fore, nam & illic euocatum Termini numen, moueri se loco non passum perhibent. Urbem mons usq; in nubila erectus sustinet. In primis ingredientibus, alcensus eius arduus, difficilis, angustus, idem per multas fallentesq; vias, in errores perplexus, scrupis paſsim vestigia offendentibus asper; at aliquando iuperatus, vix fides, quantum postea facilis, ac velut depresso, subinde alios sponte etiam in altum ferens. Ipse mons, totum se nemoroso vertice complectitur, adeo mirificâ specie, ut accendentium mentes, primo aspectu conſternet, ubi contemplati duraquæ-

Verissimum Epicarmi Sicuti, Deos omnia laboribus vendere.

Radices studiorum amara, fructus dulces

re,

re, non satiet. In imo fretum Euripi est, horribile visu, die ac nocte septies se absorbens totiesque inundans. Ferunt Aristotelem non assecutum miraculi causam, indignatum in illud se præcipitem misisse. Argumentum facit vetus inscriptio, QVONIAM ARISTOTELES NON CEPIT EVRIPVM, CEPIT EVRIPVS ARISTOTELEM. Ad littus saxum ingens prominet, simili sorte factoq; nobile. Fama tenet ad inambulantem illic Homerum, forte pescatores appulisse. quæsitos ab eo deinde, ecquid ex capturâ attulissent, respondisse, *Non capta ferimus, capta dimisimus.* pediculos hoc responsionis arcano significantes, quos illi, tædio frustra susceptæ punctionis, per lanas vestesq; colligentes, captos in mare proiecabant, occultatos in rugis vestium pannorumq; afferebant. Id, cum sui miraculo & diuinatione virum diu defixisset, tandem soluendo nequicquam fatigatum, præ dolore pudoreq; vitâ soluit, saxumq; idem in quo stetit, monumentum mortuo fecit. Ostenditur adhuc signum fabulæ, resupini hominis imago iacentis, Homeri ut incolæ ferunt tumulus. Sed præter hæc, nihil illic non admirabile, aut cum aliqua veneratione se ostendit. In medio montis locus tenebrosus residet, septus densis lucis ac sentibus, idem obiacente ubiq; magnetis lapide obscurus nigerque, *Afflum occultæ proprietatis* dicitur. Arcanum illic iudicium, & sancta ignoratio, manetq; etiam honos

*Præ merore
non intellectæ
rei obiere A-
ristoteles,*

*enius id fer-
tur epithaphe-
um.*

Homerus.

*Ænigma Ho-
mero proposi-
tum à pescato-
ribus.*

loco, ac tutum accendentibus perfugium. Haud longè specus est, voces numeroſo repercuſu multiplicans: iuxta quem ingens tenuiū literatorum turba, acceptas voces per varioſ voluminum traduces propagantium. Verticem montis, læto feliciq; solo, lata & diffusa planities extendit, nullius rei egens, abundat sua sponte genitiſ, & nihil ſolicitos homines alit, beatius quam vſpiam Fortunatæ inſulæ. Asperitas frigorum abeft, cælum nullis imbribus aut nebulis fædum, quin continui & ſereni ſine noctibus dies. Illic Vrbs Sapientiæ eſt, cuius nomen alterum dicere, arcanis cæremoniarum nefas habetur, quadrato ſitu, quadratas domos, ædificiorumq; membra ex quadrato lapide complexa. Huius medio immensa opulentia Virtutis Honoriſque templum, ob gloriam operis & magnificen- tiam, infra latius à nobis dicendum. Nunc ad prio- ra redeo.

Sicut quadratum in quam- cunq; partem decumbat re- etum fuit: ita Veritas & Sa- pientia unde- cundis ſibi eſt affimilia.

Conuentus à variis terrarum partibus Sa- pientum.

Ergo ad hunc locum urbemque, vbi edictum Liuij Sapiētes euocauit, diesq; comitiorum venit, ſtudio ſpectaculi, videndiq; ab omnibus terris venientes literarum principes, incredibile, quanta multitudo affluere, obſidere non vias modo & proxima montis, ſed quâ longiſſime tranſeuntes proſpectari poterant, plana editaq; complere, atq; ut aliquem ve- nire acceperant, corpora, ora protendere.

Hebreo-

Hebreorum Sapientes.

Huic itaq; spectaculo deditis omnium animis oculisque, principio apparuere prægrandes ævo senes, incurui incultique, & quorum vix paucis notos vultus, collectus etiam ut apparebat ex longa via puluis confundebat. Parentes olim sapientiæ, primi; variarum gentium, magistri fuisse dicebantur. Ordinem singulorum reddere in tam confusa discernendi caligine difficile fuerit, quod tamen interspectantes percrebuit, omnibus alijs, præire dicebantur Hebræi. Auidè tunc alias alium querere, quæ sapientia, quæ doctrina, gentem extulisset, vix aliqua literarum gloriâ, sua tantum ut videmus seruitute notam. Tum unus ex astantibus, velut hoc prouocatus ad sermonem. O si modò, inquit, seruasset sapientiam, quam primò obtinuit, nullo profecto seculo ab ipsa defecisset. Num enim ea gens postremi ingenij esse debuit, quam Deus præ alijs in mundo esse voluit? quam cum solam intenderet, tardè Hebrææ gentis appellatione induit? quam longe alia terra, cuius felicia arua nulli unquam subigerent coloni exceptit? Longum est quod dissimulo. Omnia inquam hæc cunctarum quidem gentium, sed quæ in legitimam successionem venire debebat, Hebrææ autor habuit ADAM. In comune cum ipsa assignata illi erant cuncta beneficia, vita sine occasu, desiderium sine defectu, satietas sine fastidio, scientia sine disciplina,

Vocabantur
primo Hebreos
ab Heber uno
ex posteris
Noemi: deinde
Israëlia à
Iacobo sive I-
saïe Abra-
hami nepote,
deum Iudei
ab Iuda uno
ex Iacobi lo-
beris.

Adami in pa-
radiso delicie
occupatio.

sciplina, possessionem ille tantum primus iusque pro omnibus accepit. Inde magna ne hæc perderet circa eum fuit diligentia. Præsto erant multa in tædium & solitudinem remedia. Somnus, vxorque, de ipsis vitalibus producta, de eius costa concepta,

Minuisti cum paulo minus ab Angelis gloriam & honore coronasti eum, & constituiisti eum super operam manuum tuarum, Ps. 8. venientium iam hominū initium, & mundi ceu domus alicuius domina & materfamilias. Ad hæc vobis unq; confederat nomina accipientium & in famulatum excubantium animalium greges armeni. Taque, omnem naturæ rigorem, omnem discordiam sub eius arbitrium deponentia. Parva hæc fortasse videntur: at erat & aliud datum otium, nobiliorq; conuersatio, seu quoties angeli delatis sideribus, de liquido puroq; aëre veniebant, seu quoties ipse Deus quasi in membra corporis formatus, præbebat se Adæ oculis, sermonem & responsa dabat, vnaq; cum eo viuebat. Quicquid tunc animus, quicquid oculi requirebant, nihil non plena voluptate occurrebat: hinc prata syluæque, inde crepitantes per calculos riui fontesque, hinc fragrantes floribus colles, illic maturæ fructibus arbores. Arbores non alimentorum modò saporumq; delicijs grauidæ, sed è quarum duabus singulari differentiâ pretiosus pendebat fructus, *Vite & Scientie boni & mali.* Beatum animal, si mens semper sana fuisset, viuebat impavidum nulli corruptioni obnoxium. Stabat securū in medio rerum se inuicem perimentum. Spectabat sine vlo sui detimento, in varias species vltro

Autor est Beda ante homini nisi peccatum nibil noxiun inutileque pro germinasse ter-

citroq;

citroq; commeantem naturam, non niues, non hyēmes, non grandines, aliaq; scelerum tormenta formidabat. Sæuiret rabies licet belluarum, rueret cælum fragore, murmure, tonitru, pulsatumq; tumultibus exagitaret orbem, tamen sola innocentia tan-ro imperabat furori viresq; compescebat. Adeò tum sanctum animal, vniuersa mundi reuerita sunt. Intentis omnibus ad hanc declamationem, quidam blandissimā oratione accedens; Rogo dic sodes, inquit, hæc secreta nunquid alij quoq; præter Hebræos veterum sapientum cognouerunt? Mouit ille ad nouitatem quæsiti vultum: & Imò, inquit, nemo fortasse ex ima etiam plebe ignoras-fet, si non ipsimet veterum sapientes, allegoricis figmentis & subdititijs sensibus, rei candorem ac veritatem infuscassent violassentque. Vix dum auditus erat Adam Euaque, cum illi rem aliter accipere, per allegoriarum acumina interpretari. Adam sci licet significare animam, quæ vbi diuinorum obli-ta, ex vigilia rectæ rationis dormit & somniat, tum animal vitamq; corpoream generat quasi Euam. Hanc deinde priorem labi peccareq;, tum demum animæ & intellectui pomum ferre & ipsum pascere, manuq; suâ satiare, nec nisi priorem seductam ab altero suffragium accipere. Quid deinde illa scele-ribus & peccatis excogitata supplicia? illa monstra & compositæ inferorum formæ? nonne hinc suas umbras fabulasq; habuerunt? Illi ab inferis ema-nantes

nenu aliquod,
non sterile ar-
borem.

An preter He
breos alij gen
tiliū veterūq;
Sapientū Bi-
bla legerint.

Per Adam &
Euā quid Plot-
tinus, Orige-
nes & Ammo-
nius intellexe-
rint?

Fabula Poeta
rum ex Biblio
sumpta,
ab exilio ho-
minis ex ga-
radiso.

nantes

nantes fluuij? qui ab Adam in corpora quoq; nostra similes affectuum intulerunt aquas. Illa palus Stygia? cum Adam in vetito fructu, ceu in quo iurare dij antiquorum solebant, cupiditatis & concupiscentiae non continuit ardorem? Ille Lethe fluuius? cum gustando de scientia boni & mali, statim intellexit quod in mortem obliuione inq; incidit. Ille Acheron? doloris & tristitiae amnis, cum nudi corporis ferre non potuit pudorem. Ille Cocytus? qui post peccatum, conscientiam luctu lacrymisq; perfudit. Ille fædus & horridus carcer, teterque tartarus? cum in labores & ægritudines suâ sede detrusus, prodigus datæ libertatis, in perpetuas quas patimur in terris iuit miserias. Illa in inferis lex fixa; sententia? ne semel tantis bonis electo ullum amplius fiat postliminium. Hæc illi Ditis concava, hos inferos putauerunt, quæque in nobis, & in hoc ipso exilio experimur, id illi fabulosa translatione Inferis assignarunt. Illum quoq; Vulturem diebus noctibusq; iecur immortale tundentem, Conscientiae lacerationem innuentes, per quam viscera turpi contaminata scelere, suppicio & dolore intestino, perpetuo depascuntur dilanianturque. Infinitus foret labor, omnia in hoc genere persecui. Iam verò illa Ambrosia Nectarque, deorum potui & delitiis seruentia, nonne admoto digito, ab Arbore vitæ originem duxisse videntur? cuius vsu si adesset vita hominum reiuuenesceret, multiplicatisque seculis

*ab Arbore vi-
ta in paradiſo*

*ab homini
peccato.*

pro-

prorogaretur. Hæc ille de Adam. mox etiam alios, prout certis notis in oculos memoriāmque venerant agnoscere spectantibusque ostendere. SETH, filium huius ipsius Adæ vna cum suis liberis. Monimentum sapientiæ eorum referebat, moles ingentes columnarum, ab ipsis excogitatas orbique eretas, lateritiam vnam, alteram lapideam: inscripta verisq; inuenta & doctrinam, quo saluti quandoq; literis fieret, terra lapisue. Quippe cum duplici fato in mundo omnia interitura intellexissent præuidissentq;, seu deinde aquis, seu ignibus hanc immanitatem subeuntibus, alterutra tamen beneficio esset, quæq; in aduersum sibi contumax, retineret operiretq; commissas sibi doctrinæ opes. Et venit postea primum in omnia mare, ruptisq; nubibus, deiecta cælo immensa vis aquarum, raptum subducitumque cum columnis orbem, infesto gurgite circumegit hausitque. Hâc vi, cum lateritia in profundo ab humore emollita solataque desedisset, mansit altera, quam è saxo stabiliuerat, aquisq; recedentibus, sola cum mundo emersit, diuq; etiam post diluvium in Syria fuit. Ostendit postea venientem MOYSEN, eiusq; permulta opera cum retulisset, tum in eo narrando vix satiari, quod à nemine mortalium, nisi à Deo visum dictatumq; conscripserat. quem vnumquodq; eorum quicquid esset diem natalem habuisset: ut terratum pondus, nihil subnixum suffultumque, se in inani suspendis-

*Columnæ due
excavatae ante
diluvium pro
seruandis ar-
tibus.*

*Columna la-
pidea super-
bes fuit post
diluvium tem-
poribus Iose-
phi.*

*Moyses scri-
psit historiam
ab orbe condi-
eo ad annum*

mundi 2492.
ante Christū
natum 1470.

Dauidem re-
fert Alhana-
bus scripsisse
Psalmorum
3000. qui ab
amicis regis
Ezechie sup-
pressi 150. so-
lū supersunt.

Hoc est. Can-
ticorum. sed
non reman-
sunt nisi qui
propter excel-
lentiam &
profunditatem
vocabantur Can-
tica Cantico-
rum.

Concertatio
in sapientiā.
Salomonis cū
Iromo rege;

cum Saba re-
gina.

set: ut ex primâ rudiq; rerum caligine, fulgentium
in cælo siderum oculi, illic syluarum nemorumque
vultus, alibi tot rerum animaliumq; facies extitif-
sent. Proximus deinde aduentabat D A V I D, diui-
nus vates & Poëta, quem ipsa quoq; instrumenta
musica, portataq; manu lyra hominibus monstra-
bat. Inde ex vna familia domoq; quatuor sapien-
tes, Alhania, Æmanus, Chalceus, Dodanus, filii Hemao-
nis. Tum SOLOMON, immensæ subtilitatis vir, &
in quo solo fecit Deus, data vt se totam experire-

tur, sapientia. Memorabantur libri eius, Odarum
& carminum, quinq; supra mille. Parabolarum &
similitudinum, ter mille. Iam admiranda ingenij
fæcunditas, cuiuscunq; plantæ & arboris, ab hysslo-
po ad cedrum usque, præterea piscium, avium, ani-
malium, ne vis cuiusquam lateret, patefacta natura,
assignataque parabola. Inuenta traditaque ad dæ-
moniorum impressiones auerruncandas remedias.

Magnam eidem cū Iromo rege Tyriorum amici-
tiam fuisse ob commune sapientię studium aiebant;
eāq; causā inuicem ænigmata mittere & reposcere
solitos, lege constitutā, vt qui non dissoluisset, mul-
ctæ nomine pecuniam penderet. Quā in re cum
Solomon viator sæpius fuisset, grandi summā colle-
cta, eam in ornatum templi Hierosolymitani con-
uerterat. Nec dissimile de regina Nicaula Saba ex
intima Athiopia afferebant, quæ æmulatione fa-
maq; Solomonis permota, venerat Hierosolyma,

vt

ut eius sapientiam quæstionibus ambagiosis probaret excuteretque, à quo perinde etiam victa superrataque, libens sapientiæ Solomonis cessit palmāq; victori tribuit. Secuti hunc futurorum scrutatores *PropheceHe-*
& prænuntij Prophetæ, Esaias, Eremias, Ezechiel, Da-
niel, vulgo Maiores dicti. Et Oseas, Joel, Amos, Abdias,
Ionas, Micheas, Nahum, Habbacuc, Sophonias, Aggeus, Za-
charias, Malachias, Minores dicti. Vbi hos aliosq; cu-
riosis vulgus oculis excipit, multiplicatis deinde a-
gminibus noui adueniebant. Senes pariter, vene-
randa canicie, & præter maiestatem, quam vultus
grauitasq; oris præferebat, stolis, habituq; byssi-
no, quæ augustissima apud eos habetur vestis, o-
mnes induit. Mirum in ijs illud fuit, quod cum ali-
us post alium priori similis præteriret globus, quili-
*bet tamen videretur aspe&tū idem. Aduertit igitur *Doctrina He-**
hoc multorum mentem, ipseq; computatus nume-
rus, prodidit Hebræorum septuaginta mystas. Se-
cretiora & arcana religionis adire ac noscere his
tantum concessum, cæteri quanquam eiusdem gen-
*tis, omnes ignorant. Moyses id primum instituit, *Literalis.**
qui cum Deo congressus, ab eoq; permulta edo-
& us, quædam in tabulas & præcepta populo exscri-
psit retulitque, cætera ne vulgarentur, septuaginta
tantum hominum notitiæ voce suâ aperuit. Quip-
pè monitum à Deo fuisse, ne omnia scriberentur,
narrant, illo Esdræ Prophetæ testimonio: Enarrauis
mirabilia multa, & ostendi temporum secreta & finem, præ-
Cabalistica.

44 Comitiorum Sapientum,

cepi ei, illa palam faceret, alia apud se haberet in arcari.

Inde fluxit religio, nihil talium literis excipiendi
que erat penes Septuaginta viros.

mandandie. Sed ne à Moyse tradita, post eum intercederent, accepti septuaginta viri, qui eadem ista acciperent discentesque, rursusq; hi ad alias septuaginta per vices & successiones, voce suâ deferrent.

Vnde Cabalæ nomen exortum fuit, quod gentis vocabulo Receptionem significat; ipsiq; viri ab acceptâ sine librorum monumentis scientiâ Cabalistæ appellati. Mansit diu cum hoc nomine usus, venientibus postea cum tempore, seu periculis, seu metu, quæ solis auribus solebant, manu quoq; excipi cœperunt. Hinc ut commodo, ita fraudibus magna data materia.

Nam plurimi ad commentandum insuper ac interpretandum, quæ excipiebant conuersi, noua placita, leges, superstitiones quoq; commenti, ijs eandem, quam veris apud suos dignationem fecere. Collecta deinde in vnum, vastaq; inde insanæ & fabulositatis consarcinata

volumina Thalmud appellata sunt, quibus etiam num tota Hebræorum adhæret regiturq; natio. Sed in principio cum res sincera adhuc esset, manuque excipi cœpit, velut publica, acre legendi desiderium maxime in alienigenis exciuit. Nec defuit Theopompo & Theodectæ Poëtæ audacia, sed v-

trig; magno stetit. Quippe vis ingens morbi, alterum adorta cum insania subita, alterius offusa nox cœcitasq; oculis, vetuit in le numenq; inquiri. Nec postea

Pena eorum
qui non Hebrei
Biblia legere ausi.

postea quisquam tentauit, sanctiusq; ac reuerenti-
us visum, quicquid illic esset, credere quam scire.
Hæc de septuaginta Hebræorum senioribus cele-
berrima: in quorum locum, dicebantur in Christia-
na religione successisse Purpurati sacerdotes vulgo
Cardinales. At quidam ostendebant alios septua-
ginta, per omnia prioribus similes, nisi quod bina-
rio auctos numero, Interpretum nomine appella-
bant. Nec tamen aucta appellatio, sed propter nu-
meri integritatem dicendiq; compendium, Septua-
ginta Interpretum notum, perinde ac in prioribus
seruatum. Originem his dedisse Ptolomæum Phi-
ladelphum aiebant, cum Alexandriæ, ex omni in-
geniorum librorumque, qui vspiam terrarum repe-
riri poterant, admirandum magnificentiæ suæ o-
pus Bibliothecam institueret. Septingenta tūm pro-
pe millia voluminum, curâ Demetrij Phalerei, qui
huic rei præerat conuecta fuerunt; Hebræorum
tantum Biblia, sua veneratio, & triste attrectanti-
um experimentum, regis gloriæ negabat. Quam
ob rem diu multumq; solito rege, missi postea
cum ingentibus donis, ad Eleazarum Iudæorum re-
gem legati, & libros, & hos septuaginta duos lenes,
qui regijs libris Biblia quoq; adderent, secum ad-
duxerunt. Datus statim venientibus secessus, sin-
guliique in singulis cellulis à se ipsis seclusi separa-
tiique, intra decem & septem dies, Codices sacros,
de suo scripto linguâq; in Græcam verterunt. Ap-

Vnde prouene
re Cardinales

Septuaginta
Interpretes,
qui, quamvis
essent & duo,
propter inte-
gritatem nu-
meri appel-
lantur Se-
ptuaginta.

Vnde proue-
nere.

Alij quingenta
millia ponunt:
& sic magnū
numerum li-
brorum,

*In interpreta-
tione Bibliorū
miraculum.
aliud tamen
alij.*

*Philosophi
Hebreorum.*

Pharisei.

Esseni.

Saducei.

*Vocantur eti-
am Babylonio-
rum & Chal-
deorum sapi-
entes.*

paruit subito interpretationis miraculum, cum re-
ceptis collatisq; postea omnium à secreto labore li-
bris, nihil in tanto transferentium numero, verbo-
rum literarumue variaret. Postquam deniq; bi Se-
ptuaginta destinatum iter emensi fuerant, admoni-
ti quoq; comitiorum, postremi Hebræorum Philo-
sophi venerunt. Primo Pharisei, vultu, tristitiā,
dissentienteq; à pessimis moribus habitu, magna vi-
tia tegentes, ijdem religionis iactatione arrogan-
tes, in cuius speciem intimam, præligatas in fronte
membranulas, quibus Decalogum adcripserant ge-
stabant. Deinde Esseni, cum in suadendo alijs bo-
no honestoque, tum ipsimet in reddendo expri-
mendoq; solicii, & contra quam priores, virtute
magis acuti, quam subtilitatibus magnifici. Tum
Saducei, ferinā ac propè cynicā sectā, dogmatumq;
quibus vñā cum corpore animas extinguebant im-
manitate, potius tacendi. Accelerabant appen-
dices omnium Flavius Iosephus, & Philon Hebræi
quoque.

Assyriorum Sapientes.

Vix ij: cum nouum iterum ignotumque, in medi-
um se intulit, sapientum agmen. Defixi plerisque
erant in cælum vultus, oculiq; tanquam solitariæ
contemplationi assuetis, non bene durabant, in pu-
blicæ pompæ conspectu. Alijs in manibus tabulæ,
punctis, lineis, circulis vexatæ, perplexaq; charakte-
rum signa, trahebant ad spectaculum turbam. Cum

vñus,

A
Pars Prima.

47

vñus, curiosissimā sciscitatione accedens, Quæſo,
inquit, ô hospes, ne intra vos pereat tantum secre-
tum; quid hæc ſegmenta in tabulis? quid ſint in
manibus picturæ? docere nos quoq; tanti putate.
Nouā voce percussus, ſuſtulit ille tantum deiecitq;
vultum, atq; ad cæptum iterum reuersus, perſeuera-
bat in tabula, velut in acie, alias delere, alias indu-
cere notas. Ergo alter ſuſpicatus, ad ſapienſiæ opi-
nionem, primam taciturnitatē pertinere, cæpit
hoc iſum diligentius interrogare. Tum ille inter-
pellatus excanduit, & Sinite me, inquit, ſidera
complere, iungitur Iuppiter Veneri, Draconisque
cauda hæret in Virgine. Miratus alter sermonem
non publici uſus, notauit, alteri iſta qui ad latus ſta-
bat dici. Itaq; ne alienis videretur interuenire ſe-
cretis, à tergo adrepens, cæpit omnia tacitus conſi-
derare. Tum ille, ubi figuræ absoluerat, quotq;
ſideribus faciunt domos diligenti conſideratione
percurrerat, manu qui hoc expectabat prehensum,
à frequentia ſeduxit; & Scias, inquit, cum naſcere-
ris non infeliciter aſtra cecidiſſe. Pars fortunæ iun-
cta Veneri, in bono cæli loco, haud vanum tibi in-
diuitias opesq; dant ſuffragium. accedit ſtella re-
gia iſdem addicta, Cor nimirum Leonis. Iam vero
in domum septimam quæ coniugij eſt, Luna cum
Venere, benignum proiiciunt radium, nullisq; ma-
leficiorum aspectibus tactæ, annuunt coniugem,
quæ dote, formâ, genere, amore, moribus, animum

Idea tempore
S. Augustini
vocabantur
Genetibliaſio

tuum

tuum mereatur. Fæcundi quoq; in fæcundis signis planetæ, propensè te iuuabunt in progignendis liberis. Ipse Sol dominus vndecimæ, gratiam apud homines tibi conciliat. Si quò ibis, ipsa te salus feret; quicquid optabis, dij vota præuenient. Deniq; Alcochoden non male dispositum, annumerat tibi annos, centum viginti quatuor, menses vndecim, dies vnde triginta, horas tres, momenta duo, ac semiatomum. Dictoq; accepta diuinationis mercede hominem dimisit. Sensit qui remanserat Mathematicum esse, vt cunq; tamen velut hominem non agnosceret, blanda salutatione admotus, vnde & qui esset requisuit, Neq; ille ultra, ad humanitatem inuitantis subduxit colloquium, &, Ego respondit Chaldæus sum, ex gente Assyriâ, nomine *Albumasar*. quos vides, eiusdem sunt mecum patriæ omnes. Cæli vim stellarumq; cursum primi obseruatione nostra excepimus, cælum suspectu libero, ac prope cum perpetuæ serenitatis obsequio adepti.

*Primi cursum
celi stellarumq;
inuenierunt,*

*quis tamen
inter eos pri-
mæ.*

Autorem in hoc, & per quem ista in cælo noscere didicimus magistrum, Iouem Belum habuimus, cui ob eximum meritum, templum Babylone construximus. Prima nobis cura fuit, ex tanto astrorum cætu discernere, quæ fixa ac velut cælo intexta in semel capta sede hæserunt: quæ vaga & errantia suos cursus certis tamen emetuntur erroribus, quæ cuiq; sideri via, quæ lex, quis ordo est. Paulatim inde progressi, defectiones quoq; illorū laboresq;

nota-

notauimus, quod ex ijs immodos calores, quod
seueras hyemes, quod cæteras terræ iniurias mina-
tur. Tum ex assiduis obseruationibus, notisque
nunquam nos decipientibus deprehendimus; infe-
riora hæc ad astrorum motus regi, nec modò inde
vitam, alimenta, vires, annos, secula, &c quicquid
pro tam multis totus mundus poscit, subministrari:
sed cuicunq; mortalium corporis animiç; formam,
fortunam, casus, euenta, fata, & quicquid postea e-
ueniat triste lœtumue, è cælo adduci. Omnia nexu
quodam latentib; altioribus sunt commissa; quodque
in utero homini augescendi, mouendi, exeundiç;
in lucem tempus & momenta disponit, idem vitam
nascentis prout adspicerit dicit, cum eoq; in illud,
in quod semel missus est, vadit. Neq; vero cursus
tantum meatusq; stellarum, in venturorum indicia
accepimus, sed earum etiam inter se situs, mansio-
nes, cōgressus, interualla, dissidia, consensiones
excusimus. Nam & Domos plerisque in cælo ho-
spitaq; construximus, & Dominos alijs, vt Arieti,
Tauro, Geminis, Cancro, Leoni, singulisq; signis,
eos quos in mundi nascentis primordio in ijs fuisse
deprehendimus, addidimus. Hinc ad futura alicui
annuntianda, totum sicut in nascentis hora fuerat,
explicamus cælum, digestisque in sua loca, nume-
rosq; omnibus, curiose perquirimus, cui vnum
quodq; sidus se applicat opponitue, cuius viciniam
premit transitue, quod aspectu suo vrget aut tem-

*Ratio diuinā-
di ex astris vt
a Mathe-
maticis deducatur.*

perat, cuius excipit aut intercipit lucem, ubi culmen eius summum, quā iter, quousq; descendit vel ascendit.

*Qui nomen-
claturam ca-
lestēm exco-
gnat.*

Ita initiato sermone, cum diu perplexas de superis narrationes duceret, tum ille qui stabat; Age hoc quoq; mi homo, inquit, quoniam sermonem habes non plebeij saporis, & quod rarissimum est nihil subtrahis alienæ scientiæ, illud etiam quā causā meritoue Arietes, Tauros, Geminos, Cancros, Pisces, aliaq; animalia in cælo posuistis expedi. Non nostrum, respondit ille, hoc sed alienum commentum fuit. Astræus hanc primus stellis, signisq; cælestibus nomenclaturam imposuit, vnde Pater astrorum vocatus, & apud posteros id nomen retinuit. Cæterum est cur ista quoq; cælo imputes. Multarum enim rerum appellationem, non libido aut casus hominibus, sed sæpe aliqua ratio causaq; persuasit. Mireris ab hominibus illata in cælum animalia, nisi noueris à sapientum maximis, ipsum Vniuersum in homines inferri; atq; ut hominem Mundum paruum, ita vicissim mundū vocari Hominem magnum. Quam quis aliam eius appellationis, deprehenderit causam, nisi quandam similitudinem vtrumq; inter se antea tacite componentem? Sunt quidem illæ velut concordes in homine cum vniuerso imagines, cæli cum capite, oculorum cum præcipuis siderum sole lunaq; humorum cum elementis, vitæ cum anni temporibus, spiritu-

*Cur Homo,
mundus par-
vus vocatur.*

Prima ratio.

um

um cum ventis, venarum cum fluuijs, affectuum cum
tempestatibus: sed erant & alia pleniora mutui
contensus simulachra, à quibus hæc in utrisq; ap-
pellatio nomenq; inuentoribus placuit. Videmus *Secundaratio*
in prima & suprema hominis parte capiteq; men-
tem & rationem cuncta nutu suo gubernantem
disponentemque: occupat & summa vniuersi, vis
quædam æterna & immortalis, ad cuius imperium
cuncta quoq; voluuntur, dataque lege festinant.
Continent media hominis pectusq; Cor, motus,
caloris, vitæq; causam & originem: pendet & in
medio alterius mundi, eadem potestate Sol, ir-
quietoq; motu omnia circumcurrentes, calorem eti-
am vitamque inferioribus ministrat. Extrema ab
umbilico & genitalis in homine portio, seminarium
productionis; imma quoq; in Vniuerso generationis
& corruptionis rerum conceptaculum est. Aduer-
tit hoc curiosus spectator, rebusque se mutuò soci-
antibus, nomina quoq; communicauit. Eadem & *Cur animalia*
in cælo posita,
animalium in cælo ratio fuit. Visa quoq; alterius
cum altero consensio, contulit ad nominis illic rece-
ptionem. Nam quid etiam animalibus ingenioq;
eorum cælo dignius? cum illis ipsis, circa quæ ma-
ximi sapientum hærent laborantque, ventorum sci-
licet, imbrium, tempestatum, aliâq; cæli notitiâ &
significatione cælum sibi pridem vendicarūt? Non
temere & fortuitò, quicquid illic est migravit ad cæ-
lestia, sed vim aliquam aut effectum denotando no-

Aries.

men quoq; suum annumeravit. Accépit cælum Aries, quod eodem tempore quo Sol dextrum aut sinistrum ambit hemisphærium, cum eo pariter modo in dextrum modo in sinistrum reuoluitur latus, pluraq; & conuoluta in anfractum cornua ceu Sol radios, spargit vertitque. Obtinuit igneæ & ardentis naturæ Mars Arietem, quod tener etiam & vix cornibus ad incursum potens, non sui tantum generis gregem, sed homines quoq; lacepsit prouocatq; in bellum. Hinc quoq; olim & ad muralium machinarum appellationem acceptus, & ad indicendum bellum à fezialibus in hosticum immitti solitus. Confedit inter sidera Taurus, labore & cultura terræ, velut socius adiutorq; factus munificentæ Solis; eius quoq; apud homines olim venerationis, ut eum necare tam capitale fuisse, quam ciuem, velutque ruris alterum colonum. Venerunt Gemini, alterna & cohærente vitâ morteque, à Solis quoq; ortu & occasu in terra omnia sata, modò astringi arescereque, modò euocari florescereque notantes. Venit Cancer, suo retrorsum gressu iter viamque Solis, qui nisi quâ se obliquus vertit siderum ordo procedit, significans. Idem reliquis signis velut exemplar & Solis significatio est. Indefatigabilem Leo vigiliam, nunquamque clausa lumina habet: perpetuus item patensq; Solis oculus, etiam cum se condiderit, manet. Largæ Leoni collo armisque setæ aëfluentes iubæ, posterioribus membris lanu-

*Cur murales
machinae arie-
tes vocaban-
tur.**Taurus.**Gemini.**Cancer.**E. Leo.*

go

go & breues pili: pansa erecta^q; Soli vere & æstate feracitas, reliquo anni glabra & deserta fructibus terra. Sterilis se ipsa Virgo, ideoq; olim velut ad comparis, nihilque gignentis ignis custodiam admota: infecunda quoq; Soli vbi spicas messemque reddiderit terra, datâq; semel in anno fruge, reliquis mensibus nihil gignendo quiescit. Stat suo momento, neq; in aliquam partem præponderat Libra: æquat vices temporum Sol, ac bis in anno paribus spatijs noctem diemque protendit. Torpet hyemè Scorpius, nec nisi abeunte brumâ aculeum sumit: moritur hyeme satorum anima, nec nisi redito Sole postea erumpit. Contendit manibus ar-
cum Sagittarius, quoq; ipse non peruenit immittit telum: defert portatque vim, quo Sol non accedit, radiorum iactus. In prominentia altaque semper in pascuis subsilit Caper: sublime depositit Sol, su-
praque verticem ab exortu consurgit. Haurit re-
funditque eandem Aquarius aquam: demittit in terram imbres pluuiasque, vnde eas attraxerat Sol.
Pisces & quicquid pater monstrorum fert mare, Pisces.
clauso anhelitu, totaque mersum aquâ viuit: ab-
strusum ab oculis, & quanquam totâ terrâ pressum,
Sol nihilominus penetrando viuiscat. Omnia qui-
dem quæ supra nos sunt, aliquid sibi nostri vendi-
cant, Soli tamen is honor datus est, vt quæ fortassè
alijs sideribus beneficia debemus, ad ipsum defera-
mus. Quippe ita sapientissimis persuasum fuit,

Virgo.

Cur Virgines
olim custodie-
bant ignem in
templo.

Libra.

Scorpius.

Sagittarius.

Caper.

Aquarius.

Pisces.

Ita Iablichus.

Egyptiorū quicquid adsit nobis boni, adesse solari potestate,
doctrina.

Sol unde dicitur, vel ab ipsa tantum, vel etiamsi ab alijs, id tamen vel
à solo Sole absolui, vel à Sole per alia. A solitudine
ille, à nobis quoq; compari vocatus nomine Adad,
quòd sit inter sidera vnum tantum & solus, nomen
eius encomia.

Solem etiam ratione carentia agnoscunt accepit, Dux, Princeps, Moderator luminum reli-
quorum, Mens mundi & Temperatio, Cor vniuer-
si, Cæli oculus. Neque illi hominum modo con-
fensus tot appellationes contulit, contulerunt &
alia ceu intellectu hæc ipsa in eo agnoscentia deno-
tantiaque. Flores & folia, se quotidie ad solem ve-
lut quiddam poscendo pandentia oscitantiaque.

heliotropium & lupinus galli. Herbæ & legumina, illum perpetuo sequentia, &
nubilo quoque conspectum eius requirentia. Bru-
ta & animalia, quædam aduenientem cantu salu-
tantia, omnia vna cum eo expersentia resur-
gentiaque.

Solem Persæ Deum puta- bant. Quin primi homines ad Deum sua con-
iectatione accedendo, illum ipsum aut Deum esse

Plato statuā Dei, que esset in mundo ve- lut in templo. crediderunt, aut à Deo erectam sibi statuam, cui
nulli parietes templaque, sed mundus solaque cæli
regio in qua spectaretur idonea fieret, putauerunt.

Propter hunc, nihil profandum nihil irreligiosum es-
se. Quisquis in mundum veniret, sciret se in quod-
dam templum induci, in eo ab hoc numine aspici,
rituque sibi viuendum sacerdotis, huic se summum
cultum, huic respectum debere. Hinc iuramentum
deposituri testabantur Solis & Iustitiæ oculum: iu-
dicabant cum aspicio, coramque velut altero
iudice

*Mos iurandi
er Solen-*

Mos iudican-

iudice tabellas sententiasque regendo, in Sole ceu
in sancto penetrali, Iustitiam habitare regnumque
suum facere arbitrati.

di Bithenor

Persarum Sapientes.

Dum hac longioris sermonis diligentia, multa cæ-
lestium Chaldaeus persequeretur, Magi deinde Per-
sarum comparuerunt. Primi innocentes & sancti,
altâ coniunctâque sapientia, rerum miracula natu-
ramque in sui obsequium ducentes. Quippe intima
hæc est apud eos Philosophia, rerum non noscere
modò, sed mouere effectus, operaque vix vulgo
credibilia. Suppetit ad hoc herbarum cæterorumq;
illic nascentium potentia, elucescensque clarius ibi
quam vspiam, in ijsdem dissidium vel concordia.
Attendunt ad hæc vtraque præcipue & scrupulosissi-
mè Magi, sparsasque per diuersa, in vnum artifi-
ciose deducunt committuntq; vires. Mille postea
inde suscitant miracula, per mutuas illecebras com-
plexusque ad quidlibet obsequente naturâ, inuen-
tis quoque in contrarium usum & separationem re-
rum purificationibus, sulphure, asphalte, sale. Quip-
pe abradunt hæc rerum dissoluuntque nexum, libe-
ratasque à se inuicem velut vinculis naturas, otio
rursus quietique reddunt. Hinc inesse illis diuinū
quiddam & potens, populus existimat, adiunctaq;
contemplationi dura per omnia virtus & frugalitas,
nihil, vt ferunt, præter farinam & olera recipiens,
facit hominibus numinum propè auctoritatem. In-
struere

Persarum S.
apientes voca-
bantur Magi,

eorum sapien-
tia erat mo-
pulatione vir-
tutum natura-
lum,

ex quâ proue-
nientibant mira-
cula.

Vt miracula
desinenter qui
bus utebantur
Magi.

Magorum
frugalitas,

Regum educationi quatuor Magi præponentur.

struere quin etiam Regum filios, infantiaeque eorum adesse, ipsorum tantum honori datum. Quatuor ad id ex omnibus diliguntur. Vnus qui Magiam, & noscere summum ac æternum Numen, simulque cognitum piè ac pure venerari doceat. Alter qui in omni vita, fidē cuique datam veritatemq; seruandam admoneat. sanctissima humani animi vincula, quibus etiamnum cum rei Diuinæ adsunt ipſi Christiani principes regesque, exosculando à sacerdote porrectos Euangeliorum libros, vbi Diuina veritas continetur, se religiose obstringunt obligantque. Tertius qui vera libertate crescentem imbuat, nolle turpia aut nimia, nulli succumbere affectui. Quartus, vt securus & aduersus omnem fortunam contumax sit, exigat. Hæc apud eos futurorum regum sunt incunabula, hæc precepta, in quæ à nutribus statim & ancillis, paruuli adhuc ad eos à mammis aulâque deferuntur. Nota est Darij Persarum regis, cum noctu amissum somnum discendo reuocare cuperet, proposita cum ingenti præmio suis cubicularijs quæstio, Quidnam in rebus humanis cæteris omnibus præualeret præpoleretque. Missæ in id à coniectantibus sub puluillum regis tres breuissimæ schedulæ. Vna inscriptum habebat, *Prauælet Vinum.* Altera, *Prauælet Rex* Tertia, *Præpollent Malieres,* sed super omnia vincit *Veritas.* Surgens deinde Darius ad examen, cum ynius cuiusque causas collegisset, vltimam cum Sapienibus

*Car regibus
Et principibus
Christianis
Euangelia ex-
osculanda in
templo à Sa-
cerdotibus of-
feruntur.*

*Quæstio à Da-
rio rege pro-
posita custodi-
bus sui corpo-
ris.*

3. Esdra 3.

pietibus regni prætulit, auctoriq; pro Veritate, vt
pote quæ sola vinceret, nullisque iniurijs aut muta-
tionibus temporum succumberet, amplissimum
donarium primamque post se dignationem tribuit.

Cæterum quanquam plurimos loci & intermisæ
pridem consuetudinis obscuritas, oculis memorieq;
spectantium tegebat, cogniti tamen inter eos non-
nulli fuere. *Zamolxis*, eius imitator *Abbaris Hyperbore-*
us, *Euanta* reges quoque. Iam *Gaspar*, *Melchior*, *Bal-*
thasar, quibus nemo magis approbavit sapientiam
doctrinamque gentis. Quippe è stella ꝑuo suo ge-
nita, cum minime plana coram quoq; spectantibus
coniectatio fieret, Christum regemque natum è
longinquo perspexerunt. Mox quæsitum per tot
terras populosque, quamuis iacentem in stabulo ac
velut crudeli abiectum manu, cognouere tamen
tam in præsepe & paupertate, quam si in purpura &
fastigio vidissent. Neq; hoc contenti, Deum ho-
minemq; adorarunt, totq; bonis quæ in infante mi-
rabantur, aurum, thus, myrrham, munera dederunt.
Proprium id apud Persas atque ex maiestate credi-
tur, reges non sine donario adire. Hinc Synætam
rusticum ajunt, cum obuium in agro Artaxerxem,
nec quod eidem offerret, habuisset, è profluenti iun-
ctis manibus aquam hausisse, eamque proceribus
vtrinq; vili muneri recedētibus, rectâ ad regem tu-
lissee. Quin & illud Persis multisque gentibus in mo-
re fuisse traditur, in vitam prodeuntibus metallâ

Magi qui
Christum na-
tum cognove-
runt adora-
runtq;

Reges Per-
sa-
rum sine mu-
nere adire
non licuit.

Qualia mu-
nera nascenti-

*bis dari con-
sueverant.* affundere, Regibus aurum, ditioribus argentum,
artificibus & agricolis æs aut ferrum.

*Chymia fini-
tima Magie.* Sed Magis iam prætereuntibus, mirum quam
Chymistarum natio inter eos se intulit audacter.

Rati enim multa Magorum opera operibus suis ex-
æquari, indignum se arteque sua putabant, non
adesse in ingeniorum cognitorum numero. Præ-
*Quid differat
in Magia.* tendebant, vires, vias, fines, vtriusq; artis perquam
similes. Opus nempe ac finem Magiæ esse spiri-
tum in corpore; opus ac finem Chymiæ, vertere
corpus in corpus. Magos suas operationes *Videntias*
appellare; se quoq; suum opus *Fortitudinem* dicere,
quod significaret vox illa *Elixir*. Multa enim apud

*Cur Chymi-
æ vocabulis
insuetis s' re-
conditis in sua
arte utuntur.* fe varijs appellationum inuolucris, ænigmatibus,
similitudinibus, characteribus, impossibilibus tegi
ac recondi, quò nulla in parte mundi non regnante
auri sacrâ fame, ars blanda & diuina, neutiquam o-
mnia ingenia subeat ex plebe. Vsurpatum id quoq;
aiebant à primis Chymiæ conditoribus, statimq;

*Chymia anti-
quissima.* cum arte receptum, rebus verba non tam secun-
dum naturam imponere, quàm ijs aliquid semper

*Quid erat
Aureum vellus* recondere. Num enim vispiam visum repertumue

fuisse Aureum vellus, aut hirtum auro pecus? At
narratum hoc nihilominus, à totq; seculis traditum,
sed à sapientibus aliter intellectum. Vellus nempe
librum fuisse, antiquorum more ex membranis pel-
libusque ouium, vnde lanæ velleraque habentur,
compactum. Eum vero Aureum, Chymiam scilicet
aurique

aūriq; conficiendi scientiam in se continentem,
quæ multā patientiā & laboribus, ac velut Iasonis
periculis nauigationibus acquireretur. His ali-
jsque laudibus se mutuō Chymistæ stimulantes, si-
ue id quoq; facerent Principum ac Regum fiduciā,
ingenio artique suæ passim fauentium, siue quod
de se ita serio sentirent, in comitatum se Magis de-
derant. Certè tunc primum multi quoq; hac occa- *Chymiste.*
sione deuoti fumo, nigriq; tantum carbonibus
prodire in publicum ausi sunt. Qui cognosci
poterant hi memorabantur, Oſhanes, Hermes, Cha-
nes, Rosinus, Olympiadorus, Agathodammon, Democritus Orus,
Chrysorichius, Pebechius, Comerius, Pelasius, Pelagius, Afri-
canus, Theophilus, Synesius, Geberus, Callides, Rachaidilus,
Veradianus, Rhoadianus, Canides, Augustinus, Panthes, Io-
annes Aurelius Augurellus, Laurentius Ventura.

Audacia Chymistarum, nefandis incantatoribus *Magi malefi- ci seu Incan-*
impostoribusque locum propè dederat. Aderant
iam perplures suis miraculis ludisque populum pa-
scentes. hi figuræ hominum in feras commutantes,
illi sidera mundo reuelentes, alij acus prælongasq;
in ventrem lanceas condentes, serpentes victos car-
mine rumpentes, Iolem digitō sustinentes, lunam
& stellas ore expuentes. Sed acriter se opponen-
tibus Magis, quorum nomen odiosum colluuius
hæc hominum fecerat, T. Liuius quoq; ex lege
duodecim tabularum intercessit, negavitque per-
missurum, vt immundorum spirituum commercio
homines fædati, bonis & sapientibus commisceren-
tur,

tur, denique sulphur flamasque artibus eorum comminatus, procul eos à cætu sapientum comiti-

Putant aliqui inventorem huius Magie fuisse Cham filium Nœ & vocatum Zoroastrem ab antiquis.

jsq; remouit. Relegati in eo numero feruntur Zoroaster autor conditorq; huius Magiae, Azonax, Hermippus, Tum eorum sectatores, Apuscorus, Zaratus, Marmaridius, Hippocus, Zarmocenides, Bactrianus, Armenius Osthianis nepos, Pamphilus familiaris Cyri, Appolonius, Damigero, Dardanus, Velus, Julianus, Bebulus, Simon & Elymas, qui Apostolis, Iannas & Membras, qui Moysi suis artibus imposturâque ob sistebant. Multæ vna cum ijs artes electæ damnatæque; Theurgia, quæ fit per sacrificia & consecrationes ad eliciendos Dæmones beneficos; Geotria seu Necromantia Necymantiaue, quæ per coactionem & planctum inquietat mortuos, infera diris agitat carminibus, tumultos bustaque reuoluit, & acceptis cadaueribus ipsos in scelera cogit manes; Pharmacia, quæ per edulia potusue, amorem, odium, insaniam lentam etiam mortem cum carmine propinat. Iam Hydromantia quæ per aquam, Axinomantia quæ per secures, Catoptromantia per specula, Lecanomantia per pelues, Pyromantia per ignem, Geomantia per terram, Chyromantia per manus, Scyomantia per umbras, Capnomantia per fumum, quæq; aliæ per alia futura fataq; hominum scrutantur nuntiantq;.

False Magie species.

Theurgia.

Geotria.

Pharmacia.

Hydromantia

Axinomantia

Catoptromantia.

Lecanomantia.

Pyromantia.

Geomantia.

Chyromantia.

Scyomantia.

Capnomantia.

Indorum Sapientes.

A Persarum Magis Indorum deinde Sapientes iter sibi locumque asseruerunt, laborioso pariter virtutis

tis cultu, herbarum miraculis, quarum apud illos par potentia gloriaque est, à Philosophia Persarum non degenerantes. Tegumen alijs nullum, alijs tantum tela, caput quoq; sibi eadem in orbem globare assueti. Eæ solæ & gratissimæ genti vestes, contextæ è lino, quod inuictum ignibus magis magisque viuere assuevit ardendo. Viuum id propterea Latinis, Græcis Asbestinum dicitur, quod proiectum in rogos, périnde ut calcem, fôrdibus exustis ferunt splendescere magis quam aquis. Hinc funebres ex eo siebant mortuis tunicæ, quæ pro vrna seruandam corporis fauillam, à reliquo continebant separabantque cinere. Animal occidere carneq; aliquâ vesci, nefas apud eos habetur, simplicibus sine igne sine blandimentis cibis fames expellitur. Contemplationis dura ratio, ab exortu adusq; solis occasum contentis oculis solem intuentur: arenisque feruentibus ita perpetem diem non abeundo alternis pedibus, secreta in globo igneo rimantes, insistunt. Cæterum ut aliorum Sapientum ita & Indorum non unus ordo familiaque. Alios Brachmanas aut Brachas, alios Germanas siue Gymnosophistas habent. Qui se Brachmanas nominant, hæc à Budda sectæ suæ autore edocti in scholis amplectuntur docentq;. Deum vniuersorum opificem per omnia meare: Mundum & genitum fuisse, & ad interitum tendere: Præter quatuor elementa quintam haberij naturam, ex quâ cælum prouenerit: Iterari rursus cum

*Idem de cary-
stio lapide
scribit Plutar.
lib: de oracu-
lis qui perin-
de neilis e-
rat aprusq;
duci instar lini
lanæ.*

*Duplices In-
doram Sapi-
entes.
Brachmanæ
seu Brache,*

*eorum do-
gmata.*

homo desierit vitam, mortemque tanquam ostium
Omnis mori quoddam esse, per quod ad immortalitatem fiat in-
preter Sapientiam troitus. Hunc vero non promiscue omnibus, sed
entes purans. solis sapientibus patere; rudes ac velut profanos ab
æternitate arceri. Propterea mira in ijs contempla-
tionis patientia, mortisq; contemptus. Non illam,
non senectutem expectant, sed saepe ingerendo se-
met ignibus, laeti & cum gloria fatum accersunt.
Ab ijs deinde eandem de immortalitate in alias
gentes manasse opinionem ferunt. Et qui Aristotelem,
non Euripi aquis, sed naturæ sponte solutum
credunt, aiunt scholasticos cum morienti adescent,

In morte Ari- ex hâc eorum sententiâ, sic virum affatos. *Qui Phi-*
botelis discipu- *Iosiphorum animas excipit, & tuam colligat, in suis recondiens*
lorum appre- *thesauris, uti animam addebet recti hominis & perfecti, qualiter*
catio. *se fuisse nouimus.*

Germana seu Similis apud Germanas sapientia, maior adhuc
Gymnosophi- in moribus rigor. Nullas domos habitare, ne pa-
æ. ti quidem uxores aut feminas, præcipua disciplina
eorum est. Nudi & intecti sub dio, ut sylvae, ut
nemora placuere, degunt, ob id Gymnosophistæ
vocati, tanquam ad certamen expediti leuesque.
Morborum notitiam causasq; agitare, multis inter
eos consuetum, neq; aliter medendo prodesse,
Mira ratio quam frugalitate & abstinentia. Hinc ab alijs pri-
vita per annu- mi Medicinæ originem fecisse feruntur. Quin o-
les producēde stendebatur inter cæteros Iarchæ, admirandâ annu-
lorum vi, in centesimo & tricesimo anno, virium ac
iuvant,

iuuentæ vigorem retinens. Multis hanc modis procurasse dicebatur, & annulorum materiâ & quam sub singulis planetis certis temporibus signando, vi influxuq; illorum imbuerat. Adhæc numero quoq; conclusa in ijs annorum lege, quæ per septenarium porrecta, vitæ fatorumque clymaæteria hominibus inducit. Septem quippe annulos, ad totidem planetas confecerat, singulisque diebus, singulos accipiendo, iuxta dierum ipsorumque nomina, digitis suis induebat. Vnde ingens ei apud suos sapientiæ opinio fuit & arrogantia. Quoties de ea verba facie animum induxisset, toties sublimis excelsusq; non nisi in aureo solio, crustis item ac sigillis aureis exornato, dispositis & circumfusis per inferiora subsellia minoribus Philosophis præsidebat. In auditorio, statua quatuor cubitorum alta, Tantali nomine inscripta erat. Hæc expositâ manu paterâ tenebat, quæ ita perenni quodam humore semper continententerq; manabat, ut nunquam tamē humor, ex eius labris diffueret exundaretque. Hunc inter ambitiosa, tanquam nectar ambrosiamq; præceptoris potare, inuicemq; propinare, siue ex audientiâ discederent, seu in amicitiam quempiam recipient, discipulis eius mos fuit.

Ægyptiorum Sapientes.

Absoluto Indorum itinere, Ægyptiorum deinde sapientum ingredi pompa cœpit. In ea multi reges, Sol, Vulcanus, Iuppiter, Saturnus, Mercurius, alijque quo-

Reges Ægyptiorum quo-
rum nominibus astra ap-
pellata.

rum

rum nominibus Græcia cælestia astra vocauit, tanquam inuenisset, quod ab his acceperat. Aderat ipsa nominis maiestate admirandus *Mercurius*, appellatus *Trismegistus*, sive Ter maximus. Triplici hunc titulum sibi comparauerat excellentiâ, aſſecutus inter homines, id quod ab omnibus creditur maximum summumque. Idem erat Rex, idem Sacerdos, summus idem maximusque Sapiens, legum conditor, iuris humani diuiniq; auctor, ſcientiarû & disciplinarum primus inuentor. Quin ex libris, quos ad triginta sex mille, quingentos viginti quinq; conscripsisse dicebatur, quidam aliquos reſcenſebant, De dijs empyreis centum, De dijs æthereis centum, De cæleſtibus mille, De Philosophia tres & triginta, De ſacerdotibus decē, De Astrologia quatuor, De Medicina ſex. Digressis regibus, Sacerdotes ſe poſtea in turbam iū tulerunt, nullā comā barbāue, ſed decuſſo per tūm corpus omni prorsus pilo, deformeſ aspectu. Iudæc peruſti ſole artus, vefis cinctusque lineus, frons deiecta, mens tristi ſilentio recondita, membra modico pañi paucarumq; herbarum condimentis affuetis, fame & macie perempta efferauerant ſpeciem hominum. Noscitabantur tamen à multitudine, & ſanctum venerandumque genus, ſacra ſimul & ſapientiæ arcana traçtare aiebant, ex more gentis, quæ ea- dem reuerentiâ religionem ſapientiamque habet.

*Theologia hic
roglyphicum*

Ipsi inter eundum ſublatam manibus Curulem ro- tam

*Mercurius
Trismegistus
conſcripsit li-
brorū 36525.*

*Sapientia A-
gyptiorum pe-
nes ſacerdotes*

tam gestabant insigne, quam præ se ferebant diuinæ sapientiæ, quæ imâ sui superficie, imum terrenaq; contingens, toto reliquoq; orbe sublimis atq; per æterna vertitur.

Rota curulis.

Sed præcipue spectantibus admirationi, quæ referebantur, inuenta ipsorum erant. Pictura, præliorum, victoriarum, rerumq; à multis seculis gestarum, præsentem exhibens imaginem, magnum humanæ curiositatis adiumentum, imitata vultum, capillum, oris venustatem, ut qui scire cupiat, qualisquisq; fuerit, in tabula cernat, hominemq; cum velit per terras ac manus circummittat. *Geometria.*
 nullo eam apud Agyptios non tenente, ad remetenda pereuntia collimitia, quæ identidem euagatus per agros Nilus confundit obliuatque. *Medicina.*
 Adscribetatur etiam à multis ijsdem Medicina; ea tamen potissimum genti suæ abstinentiâ & frugalitate commendata inculcataque. Quippe ita eos delicatorem mollioremq; victimum exosos fuisse aiebant, vt apud Thebas in templo ad columnam erigendam populum inducerent, quæ diras execrationes sustineret, aduersus regem Menin, qui in Agyptum mollitem, luxumq; induxerat primus. Neq; hoc contenti, à morte cuiusq; ilia visceraque eximebat, ventreq; Soli opposito, in eo omnium peccatorum causam esse fatebantur expiabantque. Præterea inventæ dicebantur Literæ, ab ijs à Phænicibus ut perhibent in Græciam illatæ, inæstimabile mortali-

*Inuenta Egy-
ptorum.
Pictura.**Geometria.**Medicina.**Detestatio lu-
xuria.**Evisceratio
hominum à
morte.*

um bonum, artes, nomina, titulosq; hominum, contra breuitatem æui, longissimis seculis propagantes. Iam hieroglyphica, variæq; animalium figuræ memorabantur, obeliscis aut saxis exsculptæ, sensus atq; arcana mentis continententes. Peculiare id erat scripturæ eorum genus, quo sublimiora, & quæ potissimum vulgum nescire vellent, occultabant. Ceterum hoc ipsum scribendi secretum sub varijs simulacris, triplici insinuatione intellectui ingerebant. Imitatiua, quæ conuenientem similemq; rebus imaginem habebat: sic pro Sole circulus, pro Luna duorum lunarium cornuum imago erat. Tropicæ, quæ ademptis similitudinibus, virtuti tantum affectionique formarum & figurarum significacionem accommodabat: sic amor per osculum, necessitas per nodū, inuidia per anguillā, prudentia per hominem, fortitudo per leonem, libertas per equum demonstrabatur. Ænigmatica, quæ ex comixtione mutuaq; istorum coniunctione coalescebat; ita Sceptrum, cuius in vertice oculus aurisq; esset, Deum moderantem, videntem, audientemque omnia significabat: Sceptrum in summa parte ciconiæ caput sustinens, in imo hippopotami ferocissimi animalis vngulas appensas habens, regentibus innuebat, iustitiae obnoxiam esse violentiam; proinde eam temperandam pietate & clementiâ, cuius symbolon est ciconia, quæ genitricum senectam educare, subleuare, humerisq; gestare in volatu dicitur.

Sed

*Hieroglyphicæ**triplicia**Imitatua**Tropicæ**Ænigmatica**Dei hieroglyphicum**Regis hieroglyphicum*

Sed mirum maximè fuit, vt eadem subtilitas ad barbaros Scythesq; processerit. Quippe Idanthuram ipsorum regulum ferunt, cum transgressus Istrum Darius, terrore minisq; posceret ab eo per epistolam regionem terrasque, pro literis & rescripto misisse Murem, Ranam, Auem, laculum & Aratrum. Ad quæ visa acceptaq;, cum meritò interpretatione suorum Darius posceret, Orontopagas tribunus militum, tradere per ea se suaque Scythes aiebat; coniectans ex Mure domos habitationesque, ex Rana aquas, ex Aue aërem, ex Iaculo arma, ex Aratro agros. At contra Xyphodres, nisi ocyus ut volucres auolauissent, vt mures terram latibulaq;, ut ranæ aquam profundumq; subiissent, vel iaculis confixos luculentæ victoriæ famam, vel captos arandi terramq; pro victu eorum excolendi, beneficium ipsis relictum præsagiebat.

*Scytha vñ
sunt scriptura
symbolica.*

*Ænigma Scy-
thicum Dario
regi proposi-
tum.*

Grande præterea Ægyptijs sapientiæ testimoniū faciebant Græcorum peregrinationes, neq; tam propter Mathematicam ad eos, vt quidam volebant suscepτæ (quæ domi inter incunabula & elementa dissentium habebatur) quam propter noscendam religionem, cæmoniarumq; arcana, præstantissimis quibusq; summam sapientiæ in religiōnis obseruatione cultuque ponentibus. Nam ijdē deos primū asseruisse, simulacra eorum conflasse, aras & templa constixisse ferebantur. Quin nullam gentem propriū verum Numen agnouisse aie-

*Peregrinatio
Græcorum sa-
pientum in
Ægyptum.*

*Templo primi
Ægyptiū inue-
nerunt.*

bant, eretto in vrbe Sai templo cum eiusmodi titulo EGO SVM OMNE QVOD FVIT, EST, ERIT, PELPLVM ME VM NEMO REVELAVIT MORTALIVM.

*Deū non posse
cognosci do-
cebant.*

Nimirum illud quod augures, pontifices, flamines, quotquot vates Sibyllæq; quotquot vspiam Sacerdotes & Theologi profesi; hoc ipso quod multa intelligere nos in Deo posse negamus, ignorationemq; nostram pretendimus, Deum nos plenè cognoscere videreque, quod ille tantum à se uno cognosci possit. Nam quicquid de eo lingua dixerit, quicquid animus conceperit, nihil est quod in humanum non transiliat & corrumptatur sensum: nec habere potest humanæ significationis notam, quod humanæ intelligentiæ excedit conceptum. Quâ

*Cur Sphinge
ante templo
ponebant.*

causâ Sphingem ante templo statuere solebant, arcana illic esse omnia mysticaq; ac velut ænigmate

*Cur feles, ser-
pentes, aliaq;
fæda anima-
lia in templo
inferebant.*

recta docentes. Quin imaginem Dei, nullâ figurâ teneri exprimiq; posse existimantes, eam varijs re-

rum simulacris complectendam adorandamq; cen-

febant. Hinc præcipue partâ victoriâ, cuiuscunq; animalis dux effigiem, in galea, clypeo, armisq; ha-
buisset, eius simulacrum, in templo sacrariaq; sua

inferebant votisq; decorabant: velut gratitudinem

Deo, in animali sub cuius auspicijs hostes pepulif-
fent cecidissentue, reddituri. Quo more rituq; fer-

*Hinc prouer-
biuum: Ägy-
ptium tem-
plum.*

pentes, feles, ac alia visu quoq; fæda & deformia, in magnifica templo cultumq; hominum ab ijs inducta

fuerere. Sed memorabantur apud eos alia digna re-

Poëta ab Ä.

latu,

latu, sicut ad Memphin loca mosq; sepeliendi mortuos: vnde Orpheus & sequentes Græcorum Poëtæ, Elysios campos, Cocythi stagna, Charontem multaq; alia in suas fabulas librosq; intulissent. Atq; his sermonibus homines, Ægyptiorum sapientes quamdiu conspici poterant, prosequabantur.

Græcorum Sapientes.

Post eos deinde ingens Græcorum sapientum agmē incessit, cultu habituq; longè alio. Pallia omnibus & promissæ barbæ, cothurni alijs, alijs socci, aut cre-

Habitus Gra-
corum Sapi-
entum.

pidæ, nonnullis collo magni pretij catenæ moniliaque, ex omnium disciplinarum annulis aptata & conserta, Encyclopædias ipsi vocabant: pluribus pendentes manticæ vilesq; peræ, & ingentes manibus baculi, aspectu velut nuda & brumalis sylua.

Inter hos omnes, primi grandesq; æuo sapientes in conspectum populi veniebant, *Orpheus, Museus, Me-*

*qui antiquissi-
mi.*

lampus, Dædalus, Hesiodus. Hos comitabatur HOME- RVS doctrinatum & antiquitatis, vt ipsimet perhibebant, parens, sine fastu, sine fuco, priscâ tantum

*Homerus in-
ter ceteros
princeps.*

maiestate venerabilis. Præferebat manibus, acceptum è gaza Darij, auro & vunionibus distinctum scriniolum, non in relieti patrimonij aut comparatarum opum ostentationem, pauper, egenus, & solium diu vertere coactus, sed donum Regis Magni

*Eius libros A-
lexander Ma-
gnus honori-
fice seruabat
secundq; cir-
cumferens.*

Alexandri, quod ipse per omnia bella circumferēs, impletum scriptis librisq; eius, interdiu proserum agendarum viatico, noctu pro puluillo habebat.

Homeri pauperas,
ex versibus
victus.

Quippe Homerum ipsum tantæ inopiat fuisse ferunt, ut nisi recitandis vendendisque versibus stipem quæsisset, aliter viuere non potuisset. quâ de causâ cum per Græciam illius carmina sparsa, sineq; ullo ordine legerentur, exhibiti ab Hipparcho Pistrati filio eruditi viri, collecta in hunc ordinem librosq; vti vulgo habentur, digessisse dicuntur.

Suo deinde agmine, cum discipulis veniebat Samius PYTHAGORAS. Nomen apud eos aliud habebat, quoties nominari eum contigerat, Ipse nuncupabatur. Inerat huic appellationi magna fides ac reuerentia. si quid affirmarent in disputando, aut quærerentur cur ita sentirent, totum verbo compонere absoluereque conſueuerant, Ipse dixit: tantum opinio præiudicata poterat, vt etiam sine ratione valeret auctoritas. Cæterum aliud ipse sibi præter id nomen indiderat. Nam interrogatus aliquando quis esset, à Leonte Phliasiorum tyranno, respondit se Philosophum esse. Quod vocabulum ab eo tunc ex tempore confictum, paulatim in verorum sapientum cognomen eualuit: vt cum omnes primum pridemq; artifices, etiam qui sellularias aut ludicas exercerent artes, sapientes, postea non nisi qui sophiæ, veræq; scientiæ operam darent, Philosophi & amatores sapientiæ vocarentur. Hanc vero totam Pythagoras in numeris ponebat, non qui sensui, sed qui intellectui subijcerentur; quiq; paris & imparis vi ac potestate, rerum naturæ conferrent.

Pythagoras
vocabatur
Ipse.

Philosophi ap
pellationem
inter sapien
tes ineuicit.

Sapientiam
in numeris po
nebat.

Quippe

Quippe ex ijs omnia facta contextaque, eos vim
vinculorum habere, quoad superessent, res perseue-
rare, vbi deficerent, solui separarique; nec sine nu-
meris naturam constare posse aiebat. In ijs secun-
ditatem & sterilitatem, ortum ac interitum, ordi-
nem, concordiam, societatem, amicitiam repone-
bat. Eorum potestate, molem hanc, cuius circum-
flexu tegimur ac continemur, regi gubernariq; ele-
menta pari in diuersa nisu, omnia se ipsis in mundo
constricta tenere suspendereque: eadem hæc, inter
se domita, de deposito natuuo rigore, potiorum forma-
rum subijci obsequio: cælum statu irrequietoque
circum terram verti moderamine: solem vices tem-
porum, longiores breuioresue ex vsu naturæ aperi-
re aut claudere dies: lunam modò se ipsam integra-
re, modò in nouellas formas, perpetua restituzione
traducere: sidera alia in hanc, alia in illam, suo ordi-
ne se insequi decurrereq; partem: hortorum germi-
na, fructus arborum, sataque terræ suetos dies,
suetas custodiæ leges: fætum nisi computatis prius
mensibus, materna pro partu laxare viscera: eamq;
esse naturam rerum, eam potentiam asserebat, ut
non nisi ad numeros omnia procedant, noscant
tempora, sciant occasiones, intelligentq; quid, quan-
do, quomodo, quantum esset agendum. Porro in
numeris duo principia statuebat, definitam vnitati-
tem, & indefinitam dualitatem: appellando alterum
bonorum, alterum malorum exordium ac causam.

Numerorum
vis & potestas

Hinc illud Sa-
cientia 8. O-
mnia in men-
sura & nume-
ro & pondere
dispositi.

Numerorum
duo principia

Vnitatis

Vnitatis naturam esse, qualitatibus temperiem, animis virtutem, corporibus sanitatem, domibus ac ciuitatibus pacem, rebus prosperitatem; dualitatis contra, malitiam, ægritudines, seditiones, ac in rebus dissidia inducere. Neq; enim vllum non magis proueniret ex diuersitate disparilitateque. Hinc parem docebat indigum, deficientem atq; imperfectum; imparem vero plenum ac perfectum.

Paris & im-
paris potestas. qui pari permixtus, vim suam seruaret perpetuò, conduplicatus eum gigneret, atq; ita secundus es-
set, diuisionis ipse nescius, vnitate semper in eo re-
dundante. Cæterum è schola eius viuendi cum alij
scipulorū Pythagoræ duo.

Præcepta di-
scipulorū Py-
thagoræ duo. alia, tum discipuli hæc præcepta sumebant. Pri-
mum, vt triennium continuum filerent, atq; cum

Vt filerent. loqui nescirent, sapienter interea tacere non renue-
rent. Alterum, vt se ipsos seu doctrinam, æmula-
tionemque suam, in speculo non ad lucernæ lumen,
contemplaren- atq; cum plebeijs, sed ad illustrissimum solem &
tur.

Vi se in specu-
lo ad solem
contemplaren-
tur. cum doctissimis committerent cōtemplarenturq;: vnde scilicet illuceceret, quantum promouissent,
quantumq; adhuc ijs ad summam deesset. Neque
sententiæ modò eius effataque, sed opera quoq; &
facta, portentosæ apud homines admirationis fue-

Ad Pythago-
ræ susurrum-
bos factus o-
bediens. re. Conspexerat forte in pascuis bouem fabaceam
segetem depascentem proterentemque: quamob-
rem rogauit bubulum, Bouem moneret, frugibus
vt parceret. Ridens busequa; Ego, inquit boua-
tim loqui non didici, tute si scis moneto. Non

113

con-

Pars Prima.

73

conctactus Pythagoras, auribus continuo se bouis admouens, quippiam immurmurauit. Res mira. Obedientissimus bos lacerare è vestigio segetem destitit, ac velut amplius monitus saperet, in futurum quoq; eiusmodi pabulo abstinuit.

Pythagoram sequebatur SOCRATES, propter hoc ipsum Delphici oraculi sententiā, cunctis alijs prælatus, quod palam profiteretur, Vnum se id scire quod sciret nihil. Hunc, non secus ac vnum ex Indorum sapientibus, perdiu pernoctemque, à summo lucis ortu, ad solem alterum orientem, inconnuentem, immobilem, ijsdem in vestigijs, tanquam quodam secessu mentis atq; animi facto, cogitabundum stare studereq; consueuisse acceperimus. Nec longè, velut in triumphalem pompam compositus aderat PLATO, cognomento Diuinus, cum quo Xenocrates, Speusippus. Ipse quadrigis vehebatur albis, quibus eum venientem ad se aliquando, in littore Dionysius tyrannus exceperat. Manu regebat equos, currumq; nobili stragulâ intectum. Aſsidebant ei Gratiae, & mirum quantum superuolabat apum examen. Pleriq; indicium id prædulcis eloquij eius interpretabantur: nam easdem, in labellis olim paruuli dormientis sedisse, mel instillando memorabant. Platonē ARISTOTELES sequebatur, non quòd ingenio aut aliâ re posterior esset, quippe Daemoniū viri, seu Daemoniuſ & ipſe appellatus, sed tanquam discipulus, & quòd magis sublunariū

Socrates ab
Apolline sa-
piens appella-
tus.

Eius studium.

Platoni hono-
datus à Dio-
nyſio tyra-
nno.

Platoni mel
apes in label-
la infillabant

Cur Plato
appellabatur
Diuinus: Ari-

74 Comitiorum Sapientum,

stoteles Dæ-
monium viri.

scientiam, quā in parte dæmonibus descripta puta-
bantur loca, profiteretur: Plato vero altiori con-
templationi addictus, mentem ad diuina attolleret.
Mos quoq; Aristoteli erat, quanquam in omnes
elegantia & magnificentia cultus intento, mode-
stiam præferre; atq; ut Philosophum decebat,
pompam in publico damnare. Nam & tunc mul-
tis millibus hominum, ex totius Asie Græciaque

Tanguntur li-
bri Aristotelis
de historia a-
nimatum ad
quos conscri-
bendos adiu-
tas fuit ab A-
lexandro.

tractu, ad animalium sibi ab Alexandro Magno de-
legatorum ministeria, naturasq; perquirendas im-
perans, pedestramen ire maluit. quā causā tardius
Platonem sequi, crebroq; intersistere cogebarat.
Impediebat præterea circūm congregata ingens
Peripateticorum turba, adeò circa euntem pertina-
citer sua ponens retinensque vestigia, ut si aliquem
aliò moueri, aut transuersum vnguem ab Aristote-
le recedere contigisset, omnes, velut vrerentur aut
secarentur, clamabant. His proximi ibant Sophi-
stæ, syllogismorum laqueos nodosque ita adstrin-
gentes, vt vnde nexus inciperet, quoque se conde-
ret, discerni non posset. Inde à sensu abeuntium
opinionum conditores, Anaxagoras, Ictas, Cleanthes,
pluresq; alij, quorum ille atram niuem, hi supera-
stare, terram solam moueri aiebant. Videre quoq;
erat aliquos, ad se versos inuicem contendentes al-
tercantesque, Quem numerum remigum Ulysses
cum nauigaret habuisset; Quod Achilles nomen
inter virgines obtinuisse; Quid Syrenes ad præter-
euntes

Is iam mos
est Philoso-
phantium
qui turant in
verba magi-
stri.

Sophista.

Superuata-
nea inutilesq;
aliquorum
scriptiones.

Pars Prima.

75

euntes cantare solitæ fuissent; paratâ, vt fit, in magno ingeniorum prouentu, etiam mendacijs & vanis credulitate inaniq; curiositate. Superueniebant deinde in varia disciplina principes viri, *Archimedes*, quem sæpè tabulis Geometricisq; intentum figuris, cum à studio vi abducerent perungerentq; famuli, nihilominus in ventre obducto delibutoq;; cæpta delineabat schemata. *Empedocles*, cuius inge-
nio, nullius scientiæ artisque, perfecta non inerat cognitio. In Rheticâ eloquentissimus, in Poëti-
ca iucundissimus, in Musicâ suauissimus, vt strictis
incurrentes in se inuicem gladijs iuuenes, fidibus
auerteret; vocis suauitate reprehensos, ad man-
suetudinem & pacem reuocaret à cæde. Idem ven-
tos cum vellet, excitaret salubres, pestilentes auer-
teret, concluderet tempestates, flatusque velut ma-
nu prehensos, ad arbitrium dimitteret cōtineretq;;
Ac vt aliquid dignum sapientiâ, quâ in Physicis
præditus erat, prodeat in admirationem, vnum e-
xemplum afferam. Etenim cum arcanam quan-
dam, primus ventorum cum vtribus asinjnis simul-
tatem deprehendisset, neq; eos in illam partem cæ-
li vnquam alpirare, in quâ folles ex edito ac subli-
mi loco deligi*t*s afferentur, solerti hac notitiâ
rem & beneficium Agrigentiniis præsttit admira-
bile, & plus quam humanum. Nam cum aliquan-
do illuc immoderatè insolenterq; flarent Etesiæ, sic profuit *Empe-*
vt vrbium turres & testa quatefacerent, corrum-
quâ ratione, *Empe-*
docles Agrig-
gentinis.

perent segetes, arbores ac sylvas extirparent, aliquot deglubi asinos, ac utres ex pellibus eorum factos, in collibus atq; in altissimis montium verticibus, vnde vehementissimi ingrueret, suspendi ac collocari iussit. Quo facto cum occidissent subito, & confessim in ea prouincia spirare desissem venti, eorum more, qui victis debellatisque populis ac Regnis, nouum sibi cognomen inueniebant, ille quoq; *Colysanemas*, seu ventorum depulsor profligatorque, magno cum honore appellatus est. Hunc

Extemporalitas ars quedā erat apud antiquos quæ in serijt. sequebatur *Gorgias Leontinus* discipulus, summā pariter sapientiae consummatione admirabilis, qui quærere ex se auditores, de quo aliquis illorum vellet, iubebat. Quâ subitanè ac improvisâ de quacunq; re differendi promptitudine, inuenerat induxeratq; artem, quæ à dicendi magistris Extemporalitas appellata est. Postea *Carneades* eius studij intentio-
nisq; vir, vt inter edendum, sæpè cibi potusq; ad os delati obliuisceretur, nisi hoc ipsum custodiens ancilla, apprehensâ leuiter dextera eius, illam ad obsequium neglecti operis referret eleuaretque. Dein

Honor Possidonio à Pompeio Magno factus. *Possidonius*, cuius domum Pompeius Magnus intraturus, fores percuti de more à lictore vetuit, & fasces ianuæ eius submisit is, cui se oriens occidensq; submiserat. Iam *Theophrastus*, *Euclides*, *Apollodorus*, *Aclepiades*, *Hippocrates*, *Galenus*, *Eriphilus*, *Erasistratus*, *Heroclides*, pluresq; alij.

His iam prætereuntibus, cum repente ab ultima

Studium Carneades.

Pars Prima.

77

mā parte misceri multitudo, crebrescere murmur,
exaudiri strepitus, propinquare dissonæ voces, su-
surrus, plausus, risus & repente quies. Respicien-
tibus sciscitantibusque quid esset, ingens agmen
Oratorum, Historicorum, & Poëtarum venire
nunciatur. Suspectum iam antè id genus hominum
plerisq; erat, ob nimia vulgi studia, & aliquorum
artem, quā se in animos hominum insinuantes,
mentem voluntatemque ipsorum, quoquo liberet,
traherent compellerentque. Igitur tunc quoq; ali-
quo affectu agitari ab Oratoribus plebem arbitrati,
ex templo præconem, qui ipsis silentium impone-
ret, mittunt. Sed nulli tunc innocentius egere.
Demosthenem tantum conspicata forte muliercu-
la, populo digito monstrauit dixitque, *Hic ipse est,*
Inde idem alio alteri insurrante, rumusculus ex-
ortus, auram gratiamque populi mouit. Mirum
quām confestim ea, ratum quoq; ipsi apud Orato-
res fauorem fecit, quanquam factiosos, æmulos, fa-
mæ audios, & vulgi etiam studijs pro se confiden-
tes. Non *Antiphon*, *Andocides*, *Lysias*, *Iſocrates*, *Iſeus*
Lycurgus, *Hyperides*, *Dinarchus*, alijq; potissimi ausi re-
pugnare. Quin *Æschines*, ipsem testis laudatorque
inimici, orationem eius, propter quam Rhodi exi-
lium pertulerat, populo laudabat monstrabatque.
Pari quoq; modestiâ Historicci iuere, *Xanthus*, *Heca-*
tem, *Ephorus*, *Theopompus*, *Thucydides*, *Polybius*, *Xenophon*,
Plutarchus, *Herodotus*, *Philitus*, *Clitarchus*, *Tiſagenes*, &

*Athenijs affe-
ctus mouere
per præconem
prohibebatur.
Oratores.*

*Ad Demosthe-
nem cognoscē-
dum Athenas
veniebant ho-
mines.*

*Oratores Gre-
corum præ-
cipuit.*

*Æschines pul-
sus in exilium
perorante
contra se De-
mosthene.*

*Historici Gre-
corum.*

*Poetae Greco-
rum.*

alij. Poëtæ quoque, sed antiqui, homines, vt semper tales quieti & boni, *Anacreon*, *Mimnermus*, *Ar-machus*, *Hippomachus*, *Alcaeus*, *Aeschylus*, *Sophocles*, *Cratin*, *Aristophanes*, *Pindarus*, *Eupolides*, *Menander*, *Philemon*.

*Poetas amata
voluptas &
oblectatio.*

*Fabella de
Ioue.*

Iouis amores.

*Nuptiae cum
Metu.*

*quem inter o-
scula degluti-
uerat,*

Diphilus. Ast alij, sicut intemperans pleraque est hominum natio, sua studia vulgo publicare, quâ densissima turba tendere, carmina modulari, plausum risumque excitare. Sed inter alios, ne sileret fabularum hilaritas, quidam, ab Ioue orsus narrare, quoties Deus amori succubuisse, quoties peccatulus desertâ cæli statione in terras descendisse; quoties à Iunone sua abnoctauisse, vt in voluptatem noctes duplicauisse, vt per impluuium, per aureum imbre, per oppessulatas fores virgines adiisse, quot unus pellices, quot vxores habuisse. Atq; ne diuinæ, inquit, mentis opera damnetis, scilicet quæsiuit quæ se famina grauidaret. Narrare posse, vt vetulus, salax tamen & multarum nuptiarum Deus, Metu, formosissimam sibi virginem despontisse, vt illam in conlaue deduxisse, vt omni ornatudenudatam, in aureo secum toro collocauisse, ibi, modò multum diuq; basiauisse, modò pariter compositus cum ea lusisse, profluentem ab aure puellæ comam demisisse, reduxisse, remulsiisse, omnia licentia coniugali; demum vin-

ctam brachijs arctioribus, velut toto pectore ore, suauium impressurus, pro osculo, ori admotam, manducauisse, & in ventrem penitus suum abstrusisse.

fisset. Admouentibus præ risu multis ad ilia manus. Atqui (pergit porrò) breui Meti grauidus & fætus Iupiter, ventrem ferre, eoq; in dies tume-
scente, intestino pondere grauari, cunetari: mox <sup>deinde ex ea
grauidus.</sup>
vicinus partui, angu, dolere, eiulare, discruciar, puerperio pro Lucina Vulcanum poscere. Adeſt ille, quanquam enormi distortoꝝ crure claudi-
cans, tamen impigre ministeria obſtetricum per-
acturus. Sed cum nullus partui pateret exitus, ad
extremum, quā dolor reclinauerat, iussus caput lo-
uis findere, vbi ei securim inflixit, Palladem ē cere-
bro, doctissimam disciplinarum & consiliorum
moderatricem, effudit Deam. Dixerat Poëta, cum
comploſis manibus, risuq; vulgi omnia exſonuere.
Alij vero intellectā fabulā, quā ipſe innuebat, pru-
dentiam prius in ſenſibus & experientia, velut in
ventre naſci, mox in intellectu & capite mature-
ſcere, festiuſſimo Poëtæ, Græcā formulā identi-
dem acclamauere, SOPHOS & PAPAE. Atque ad
hunc modum poëtico lusu perſtrepebant itinera,
neq; præco, quanquam ad coercendum miſlus, im-
pedijt, tanquam poëtis furere quoq; licitum eſſet.
Mox ſeptem Græciæ ſapiētes incessere Solon Athe-
niensis, Chilo Lacedæmonius, Cleobulus Lindi, Thales Mi-
lesius, Bias Prienneus, Pittacus Mitylenæus, Periander Co-
rinthius. Claudebat omnium agmen, ingens homi-
num multitudo, cum baculis & manticis, omnes
pannoſi, pediculosi, luridi, exſucci, cadauerosi, vt
his

Vulcano ad
nucato pro
obſtetrice.

ex capite Mi-
neruam pe-
perit.

Interpretatio
fabulae.

Mos Greco-
rum cum alie-
quem lauda-
bant Sophon
appellabant
ſeu ſcitum-,
vnde ſeptem
ſapiētes ſe-
ptem ſcitiſſimi
viri.

Comitorum Sapientum,
his notis appareret philosophos esse, quales odif-
se diuites solent.

Italorum Sapientes.

Gabij.

Falisci.

Thusci.

Roman.

eorum habi-
tus & mai-
stas,

*ad summos ho-
iores acceptio*

*Inter sapien-
tes praecepi
estimati Ora-
tores:*

Vbi iam Græcorum Sapientes transiissent, successê-
re Italæ. Primùm vetustissimi Gabij, Romuli ad-
huc & Remi vt ferunt præceptores. Mox Falisci,
magistri vnius scelere & pænâ noti, quem Camil-
lus reducendum Falerios pueris tradidit, virgasq;
vt suum rectorem agerent dedit. Postea Thusci,
studijs ludisque puerorum, vim olim Romanam
bellumq; demoliti. Inde tandem fasces securesq;;
Romanis sapientibus viam faciebant. Mirum
quàm subito propè artonitam silentio & admiratio-
ne plebem, istorum spectaculū reddidit. adeò haud
secus, quàm venerabunda intuebatur proceden-
tes viros, ornatu, habitu, maiestate etiam, quam
vultus grauitasque oris præseferebat, hominibus
propè augustiores. Multi inter eos erant consula-
res triumphalesque, omnia propè Vrbis fortunæ
& honorum insignia; deniq; non magis laureis ac
coronis, quàm sapientiâ resplendentes Diui ipsi Cæ-
sares. Mirantibus requirentibusq; plurimis, quod
genus sapientiæ in ea Vrbe, in tantum homines ef-
ferret, Eloquentiam aiébant. Afferebant inter
causas, continuas illic factiones, perpetua certami-
na, discordias consulum aduersus tribunos, agra-
rias frumentariasq; leges, plebis & optimatum cer-
tamina, ordines inuicem infestos, quibus adeò con-
fusis

fusis mixtisque, nisi Oratores pro moderatoribus
affuerint, plus domi & in suo campo Martis Roma
perdidisset, quam ex altero campo Martis & acie ex
hostibus victoriæ ac commodi retulisset. Vnde nul-
lis illic perinde, quam Oratoribus erat aut gloria
maior, aut honor augustior. hos ut consultores rei-
publicæ adorabant omnes, hos ut excubidores in
prouincijs & magistratibus reuerebantur omnes,
hos pro meritis in præturas, consulatus, summosq;
honores vocabant omnes. Ista secum multi, cum *Philosophi*
Romæ pelle-
bantur.
interea magno natu quidam, ex cætu venientium
sapientum, se in turbam proiecit. obsita erat squa-
lore vestis, vultus fame & macie excoctus, oculi
introrsum retracti, ad hoc promissa ad pubem bar-
ba & capilli, efferabant speciem hominis. Ipse
primum multa secum velut animo volutans inam-
bulauit: deinde cum iam circumfusam in concio-
nis modum multitudinem adspexisset, silentio ma-
nu facto; Philosophus sum, inquit, exul nunc Ro-
mâ, quem illic neq; Galli violassent, si olim capta
vrbe in curuli sedissem. Virtutem non contem-
plaritantur, sed ferre assueui, vitiaque non minus
odisse, quam Romani Tarquinios. A paupertate *Verum vita*
monastica &
religiose exé-
plar.
vitam auspicatus, pauper consenui. Fugere tumul-
tus, fora, opes, honores, quæq; vulgo felicitates
habentur, felicitas mea fuit: nihil cupienti nihil vn-
quam defuit. Humilis hic patinus virtutes operie-
bat, quicquid necessitas cibum fecerat, famem ex-
ad quod se

*componabant
veteres Phi-
losophi.*

pellebat, humus cubile præbebat, somnus breuior quam tempora noctis, quieti sufficiebat. Hoc ego remedio in vitia pugnaui; hâc vitæ austerritate animum sanaui, & in fracto corpore facile cupiditates domui. Solitudine & secreto expirauit ambitione, voluntariâ paupertate concidit auaritia, habitus viliis vitaq; se ipsam despiciens abdicauit superbiam, humilitas inuidiam, seueritas voluptatem, contemptus cupiditatem, securitas sollicitudinem. Versus deinde ad Romanos, transeuntesq; à longè aspiciens, velut coram interrogabat, Quid hæc polluissent sanctitatem ipsorum? Quid, si quales esse eos fama est, apud quos virtuti cuiq; locus esse dicitur, vitæ rigidæ exilium, quid innocentia philosophiæ, ab urbe relegationem indixissent? Si philosophi, inquit, & in paupertate adhuc tibi graues, & in humilitate omniumq; contemptu suspecti sumus, paucos sic Roma innocentes habes. Adhæc, velut exprobrando narrabat, ut libros Numæ Pomphilij, quos ipse secum in tumulum intulerat inclusaratque, repastinatos inuentosq; cum ossibus eius prope Ianiculum, propterea tantum quod de philosophia fuissent, exuissent, nihil ipsorum religioni, nihil vetustati, nihil venerationi Regis sui dedissent.

Varius sermo, ad miserationem & inuidiam accommodatus, mouit statim audientes accenditque, atq; ut vulgo minor est sapientia, hi detritum regmen,

*Plinius lib. 13.
Cap. 13.*

gmen, illi squalidi capitis concretam caniciem, alij rugosam nudatis carne ossibus cutim mirantes, velut solidæ virtuti adstrepebant. Postremò ipsi arbitri alienæ virtutis, Philosophum ætate & corpore inualidum, sublatum suis humeris, inter alias Romanorum sapientes reposituri ferunt. Ignari illi interea ibant, cum affertur rumor, rapi à multitudine, afferri in cætum ipsorum, incertum quem, mox Philosophum esse qui portaretur. Non turbauit id tamen Romanorum sapientes, sed experto in similibus Censorum remedio, tunc quoq; ire Catonem, auctoritatem suam opponere iubent: cessuram plebem, deserturam magistrum inutilem, vbi reminisceretur domesticorum philosophorum, quorum seueritate probitas quoq; ipsa & continencia examinaretur. Adspiceret modo Catonem, virum rigidæ innocentia; aut si talium ipsam doctorum tæderet, frueretur sane virtute tritii & solitariâ, sibi reiq; Romanæ potiorem, actuosam, quæq; honore & præmijs excitaretur, relinqueret. Valuit datum consilium, plebsq; Philosophum deiectum, quem humeris sustinuerat, sua sponte deseruit; siue tunc vultum, aspectum, spiritum, & libertatem Catonis extimuit: seu quod in multitudine euenit, in quâ vt repente fauor & misericordia acrem primum impetum accipit, ita subito destituta ratione & consilio concidit & euanescit. Quietum inde Romanis iter, iuereq; Scipio & Emilianus, Ser-

*Cause cur nō
partiebantur
Romani Phi-
losophos.*

*Quia sufficie-
bant Censores.*

*quia virtutē
amabant que
honore & pre-
miis accende-
retur.*

*Oratorius Ro-
manorum an-
tiquissimi.*

uius Galba, C. Lælius, duo Grachi, C. Fannius, Carbo Papirius. Q. Metellus Numidicus, M. Cornelius Cethegus, Appius Cæcilius, P. Africanus, M. Æmilius Lepidus, Antonius Crassus.

Sed inter tot tantosq; omnium iam M. Tullium Ciceronem, animis oculisq; requirentibus, *C. Cæsar*

Cæsar is eloquentia.

sar prius processit, magnus non gloriâ solum rerum à se gestarum, sed etiam testimonio Ciceronis, contra quem, nemo aliis nominari potuisset, si foro

Ingenium & memoria admiranda.

tantum curiæque vacasset. Mirari multi, sublimitatem in eo animi omnium fermè capacis, referre, cuius ingenij memoriæq; fuerit, quaternas simul dictare epistolas, ipsum quintam scribere, & si callamus eximeretur septenas pariter conficere, ut & singulis seriò adesset, & omnium fideliter meminiisset.

Imitatores alij Cæsar is alij Ciceronis.

At alij ægre pati Cæsarem præferri Ciceroni, primum in toga triumphum, primam linguæ lauream merito, gentisque etiam ipsius testimonio, non minus patriæ, quam facundiæ & Latiarum litterarum Parenti. Cumq; ut fieri consuevit, alij alium præ alio haberent, statim inter eos factiones prouenière, palamque alij Cæsariani alij Ciceroniani vocari voluerunt. Maior tamen pars Ciceroni

Ciceronis imitatores triplices,

adhæsit. sed neq; inter hanc conueniebat; cum variè quisq; Ciceronis, quem sequendum imitandumque sibi delegerat, tueretur dictionem. Alij

qui copiam & rofluentiam.

vbertatem copiamque fusæ orationis, eloquentiæ medullam in eo esse arbitrati, ipsi ut prolixii & volubiles, propè infinita oratione diffuerent laborabant.

bant. Multi venustatem & lumina magnificientes, germanos se fore Ciceroni putabant, si orationes pigmentis & coloribus, velut saccharo & melle saturarent, figuris & schematibus continuis expolirent, vngues earum diligentissimè circumcidarent, capillum pecterent, gemmas acu reponerent, blanditias & oscula cuicunq; verbulo infigerent. Pleriq; vitio omni carere, nihil corruptè & inquitate loqui, innocentiam & munditatem orationis pro virtute habere, Ciceronem eo modo imitari credebant dicebantque. Hæc illis vltro citroque inter se conferentibus, adstabat forte per silentium Laco quidam, diuq; quietus sermonem excipiens, lusciniam postea, velut ex ea obsonium sibi paratus è pera prompsit, à tergoque ipsorum deplumans, quicquid reuellerat plumarum in altercantest sufflabat. Enim uero ipsi, offensi ignoti hominis insolentiâ, quodq; seria turbaret, cum malam crucem Laconi imprecarentur, ille non aliud, quam implume iam & exile lusciniæ corpus hac illaque manu versans, tandem, Auem, inquit, magnam te ego dum emi, esse credidi, at tu nihil eras præter plumas. Hoc facto dictoque, vt quidam coniiciebant, argutè innuens, verborum quorūcunq; sine re inanem esse vanumque sonitum, quem sectari tam fiat ridiculum, quām imponere alicui laciniosam, multiq; panni vestem exiguo & defecto corpore.

*qui lumina &
schemata,
qui castitatem
& munditatem
orationis affe-
ctant.*

*Iudicium de
omnibus.*

Laco

*Sine scientia
& sententia
nequaquam
eloquentia
grata.*

Oratores antiqui post Ciceronem.

Historici rerum variarum scriptores.

Dere rustica scriptores.

Poeta.

In Italia postea artes extinctae.

Hæc dum in populo fierent dicerenturque, pergebant porrò additamenta veterum adhuc oratorū, *Asinius Pollio, Messala, Caius, Seruius Sulpitius, Cassius Seuerus, C. Plinius Secundus* nepos. Hos proxime ibant rerum variarum historiæq; scriptores, *C. Plinius Secundus* auunculus, *C. Sallustius Crispus, Cornelius Nepos, C. Velleius Paterculus, C. Cornelius Tacitus, Valerius Maximus, C. Suetonius Tranquillus, Fenestella, Vitruvius Veronensis, Cor. Celsus Veronensis*, & omnium suffragio pridem inter Romanos cooptatus, ipse *T. Livius Patavinus*, comitiorum auctor. Mox prisca simplicitate, aliquot ab agro rureque plaustris vehebantur, *M. Cato, M. Terentius Varro, Palladius Rutilus*. Deinde chorus Poëtarum, magna parte ex colonijs coactus, ciuitatem Romana donatus, *Afranius, Pacuvius, Q. Ennius Rudinus, T. Lucretius Carus, Q. Catullus Veronensis, Q. Horatius Flaccus Venusinus, Sex. Aurelius Propertius Merianus, P. Ouidius Naso Sulmonensis, A. Persius Flaccus, P. Papinius Statius, Q. Valerius Flaccus Setinus, D. Iunius Iuvenalis Aquinas, P. Virgilii Maro Mantuanus, M. Accius Plautus Sarsinas*, & quem Scipio Africanus Carthagine aduectum, in triumpho suo pileo libertateq; donauerat, *P. Terentius Panus*.

Longum deinde interuallum fuit reliquorum ab Italia literatorum tardè comparentium. Inter causas ponebant. Alij conscientiam tenuioris ingenij, ac si contracto temporis processu hominum profectu, semetipsos à prima ingeniorum felicitate separauissent. Alij morum mutationem, quod per varia-

variарum gentium bella, atq; barbarorum in Itali-
am aduentum, alijs moribus imbuti, nomine tan-
tum retento, venirent velut ab alia gente. Nam
non modo cultus habitusque origini primae non
competebat, sed sermo planè alius, linguâ etiam
veteri, velut datâ gentibus, in prædam & victori-
am. Ac lingua quidem statim à toto orbe excepta
est, & in scholis anxiè seruatur, in Italia haud per-
inde valuit. Alij antiquæ prioriq; linguae, omnis
sapientiæ ius possessionemque deberi arbitrantes,
nihil in publicum ire, nisi Latinè permittebant:
alij loquendi rationem à sapientiâ remouentes, ser-
mone recens insito priorisque abortiuo, ac prout
vulgo loquebantur, pleraq; discebant tradebantq;. Neq; tamen hoc ipsis gloriam minuit, sed manlit
par cum prioribus honos, & ob præstantiam inge-
niorum, magna apud intelligentes, vtrorumque
admiratio. Hi igitur prioresque, manibus se inui-
cem tenentes, à varijs Italæ partibus ad comitia
properabant. Primi sacrarum literarum Doctores,
S. Thomas Aquinas, deinde *Iacobus Sadoletuus*, *Thomas Cate-
tanus*, *Gaspard Contarenus*. *Cæsar Barronius*, *Robertus Bellar-
minus*, Cardinales, longusq; alias hōs comitantium
Theologorum cætus. Postea Iuris legumq; periti,
Azo Bononiensis, *Gratianus Decretorum collector*, *Cynus*, *Iurisperiti*,
Accursius, *Dynus Socinas*, *Bartolus*, *Baldus*, *Andreas Alciatus*,
Guidus Pancirollus, *Albericus & Scipio Gentiles*, *Iulius Paci-
us*, *Iosephus Maschardus*, & alij prope infiniti. Tum
non minor Medicorum cætus, *Hieronymus Fracastori-
us Ve-*

*Lingua Latini-
na cur interijs*

*Eius apud al-
lias gentes ho-
nor.*

*Itali pleraq;
vernacula lin-
guâ conficiunt.*

*Italorum
Theologi.*

Medicis

in Veronensis, Gabriel Fallopius Mutinensis, Hieronymus Cardanus Mediolanensis, Hier: Mercurialis, Hie: Capivaccius, Trincavellius, Hercules Saxonius, Iulus Caesar Claudinus.

In varia litteras & viris.

Inde insignes variâ literaturâ viri, duo Manutij, Paulus Louius, Caius Rhodiginus, Carolus Siganus, Petrus Bembius, Hermolaus & Daniel Barbari, Ambrosius Calepinus, Ioannes Franciscus Picus, Iacobus Zabarella, Franciscus Picolomineus, Ioannes Antonius Maginus, Marsilius Ficinus, Iulus Caesar Scaliger, Angelus Politianus, Petrus Victorius, Dantes Aligerius, Franciscus Petrarcha, Sanazzarius, Ioannes Boccacius, Torquatus Tassus, Ariostus, & alij.

Hispanorum Sapientes.

*Quo differreret
tem.
porum Sapi-
entes Hispa-
norum, ab an-
tiquis.*

Postquam omnes propè gentes in linguam sapientiamque Latinorum confessere, inter cæteras Hispani præcelluerunt. Quidam aureo adhuc ingeniiorum seculo, primo naturæ partu ad veterum Romanorum æmulationem editi: alij magis magisq; remissi, postea desertâ Humanitate, soli Philosophiæ aut Theologiæ adhærentes, cæterum magnâ parte non lingua modo Latinæ, sed omnis venustatis, tanquam superuacanei ad sapientiam fuci negligentes. Omnia primi per populum sibi via in faciebant è familiâ Annæa viri, vetustissimi Cordubensium, nomine duplici, indicium vetustatis & annorum referentes SENECAE. Dum præiret

*Seneca Rhe-
toru & patris
admirandæ
memoria.*

L. Annaeus Seneca vulgo Rhetor aut Declinator dictus, stabant tunc inter cæteram turbam discipuli eius, amplius ducenti, prosâ & versu certare periti. Ijne non minus honoris præceptor i publico, quam in

in schola habere viderentur, singuli singulis extemporarijs versibus transeuntem salutauere. Periculum id, ut apparebat, Senecæ fuit; atq; ut gratos esse sibi illorum versiculos testaretur, ijsmet audi entibus, singulos statim retrouersum ordine rede unte, ab ultimo, ut repetitio in primo desineret, recitauit. Enim uero ingens ab eo tempore memorie viri admiratio inter astantes fuit, nec mirum dicebant, quod in suam quoq; sobolem, haereditatem transudyisset ingenij vim sapientiamque. Et commodum quoq; L. Annaeus Seneca filius se inferebat; homo adstricti moris, cultu habituque seuero, si honores, fundos, pecuniiamque eximeres, prorsus antiquis philosophis par, vitiorum strenuus insectator, grauis, sanctus, innocens, nisi quod in Neronem incidit. Sub hoc & magnam & malam famam obtinuit. Malæ famæ materia erat, opes eius immenses, & quia breuissimo tempore, intra quadriennium ter millies festerium regiae amicitiae, velut malis artibus partæ. Nam Nero, quanquam solius pecuniæ bis & vicies millies festerium donati onibus profuderat, notatus tamen, maioribus largitionibus obstrinxisse conselios, & apud quos veniam scelerum quarebat. Atq; ut in magnis hominum fortunis, vox, silentium, nutus, quies, aperta, secreta exquiruntur, dicitur Seneca ipse de se suspicionem præbuisse, cum acceritus à Nerone rogatusque, quid post frustra speratam Agrippinæ

M

matri

Senecæ Philo sophi & filij
mores.

Lxx
PZ

An Senecæ
conscios sele
rum Neronis
fuerit,
Tacitus Ann.
lib. 13.

Ex computa
tione Lipsij,
Nero profu
dit pecunie
quinquaginta
quinque mil
liones.

*Tacitus Ann.
lib. 14.*

matris in naufragio morte consuleret, silens respe-
xisset Burrhum, ac si cædem innueret. Evidem
post occisam Agrippinam, circumferebatur eius,
nomine Neronis composita, missaque his verbis ad
senatum epistola, *Saluum me esse nec credo nec gaudeo.*

*Apud Fabiu
Quint: lib. 8.* quæ velut scelerum conscius excusauit, quod in

*Cur male au-
dinerit Seneca* Nerone corripere debuerat. Hæc de Seneca fere-
bantur, siue addita odio Neronis, in immanibus

eius vitijs, non præceptorem modo, qui nihil pro-
fuerat, sed genitores etiam qui ipsum ediderant
perosi; siue credita, ac si pessimis principis mori-
bus, æstimatae tamen magnæ virtutes, haud procul
magnis vitijs absfuisserent. nobis quoquo modo acce-
pta non occultare in animo fuit. Senecam seque-

*Varie erudi-
tionis viri.* bantur *Lucanus, Silius Italicus, Martialis, Columella, Fabius
Quintilianus, Pomponius Mela, Trogus Pompeius, eiusq;*

collector Iustinus. Inde nouo separatoque agmine
veniebant, *Arnoldus Villanuanus, Raymundus, Lullus
ipsius discipulus, Aelius Antonius, Ludovicus Viues, Ab-*

uarus Gometius. Et Medicorum plurimi *Auerroes Cor-
dubensis, Rasis Almanzor, Messahallah, Auicenna Hispanen-
sis, Petrus Nonius, Amatus, Christophorus à Vega, Ludoni-
eus Mercatus.* Tum Iurisconsulti *Fortunius Garzia, An-*

*tonius Augustinus, Arius Pinellus, Ferdinandus Vasquius,
Ioannes & Franciscus Vergaras, Emanuel Soarez, Antonius
Goueanus alijque.* Inde Theologi *Vigilantius, Aquili-
us Seuerus, Prudentius, Osias, Auitus Presbyter, Marcianus,
Paulus Orosius, Pacianus eiusq; filius Dexter, Audentius,
Isidorus, Iustinianus, Leander, Fulgentius, Eladius, Eutro-*

pius.

Medici.

Iurisperiti.

Theologi.

pius. Inter quos ex religiosorum familijs Ludouicus Theologirelli-
Granatenis, Franciscus Forerius, Hieronymus Pradus, Io-
annes Baptista Villapaldus, Franciscus Turrianus, Benedi-
ctus Pererius, Iohannes Maldonatus alijque.

Gallorum Sapientes.

Vbi Hispaniæ Sapientes iter suum perfecerunt, ad-
ueniebant Galliæ. Primum genus priscum, incul-
tum, rude, quod sui tantum nominis memoriam, si-
ne personarum cognitione reliquit. Appellaban-
tur *Druideæ*, longo & laborioso genere docendi ad-
mirandi. Quippe publica tantum aut priuata facta
Cabalistæ
Druidarum.
literis excipere, sapientiam verò non nisi auribus
& memoriâ ediscere, mos apud eos erat. Id duabus
de causis facere dicebantur, quòd neq; in vulgum
dogmata disciplinamq; efferti volebant: neq; eos
qui disceréti, literis confisos, memoriæ minus stude-
re; quod plerisq; accidit, vt præsidio literarum plu-
rimi diligentiam in perdiscendo ac memoriam re-
mittant. Vnum ex ijs quæ præcipiunt docentque
Quid populo
vulgabant.
in vulgum effluit; non interire animas, sed æternas,
ab alijs post mortem transire in alios, corporaque
vt vestes tantum atterere. Cætera de syderibus eo-
rumq; motibus: de mundi terrarumq; forma & ma-
gnitudine: de rerum natura: de Deorum immorta-
lium vi ac potestate, clam vulgum & in abditis sal-
tibus disputant docentque. atq; hæc omnia magno
versuum numero complectendo, annos nonnunquā
viginti in disciplina sua discentes retinent. Post
Quid clam.
alios docebant.
Quot annos
discentes deti-
nebant.

*Antiqui Gal-
torum Sapie-
ntes.*

Druidas veniebant institutione adhuc Romanorū celebres, *L. Plotius*, qui Romæ primus Latinæ linguae scholam aperuit: *M. Antonius Gniphō*, cui inter discipulos *M. Cicero* dum prætore esset, cum Quinto fratre audientiam sæpe præbuit. Tum *Volienus*, *Montanus*, *Domitius Afer*, *Iulius Florus*, *Iulius Secundus*, *P. Terentius Varro*, *Latinus Pacatus*, *Rutilius*, *Numantianus*, *Ausonius*, *Gratiani* & *Valentiniani* imperatorum præceptor.

*Encomium
Parisionis A-
cademie.*

Mox ex ipsa Galliâ viri domesticâ eruditione sapientiæque famâ nullis secundi. Pars commendationis ipsorum erat Academia Parisiensis, post Romanam prima omnium artium habita parens & magistra, controversiarum fidei arbitra, Schola olim gloria, cui se vni primoque redeuntes in Orbem dedere literæ; quantumq; per tot gentes ipsarum postea foret, id ab ipsa profectum acceptumque, inter beneficia illi deberi voluere. Quippe cum iam in extremis pér Europam scientiæ agerent, deficiensque pariter cum literis religionis cultus, deformi squalore tenebrisq; cuncta obduceret, duo

*Duo Mon-
achi eius causa*

è Scotia monachi, iam inde eâ re permoti, ire emigrareq; in quamcunq; partem constituere. Nominata illorum erant Clemens Claudius, & Ioannes Rabanus, diuinarum humanarumque literarum scien- tissimi, ambo Bedæ Venerabilis discipuli. Viam diij in Galliam dedere. Eò cum mercatoribus ap- pulsii, cum institores venale negotiū pretiosa quæq; nouaq;

*qui cum mer-
catoribus in*

nouaq; è nauibus affluent multitudini promendo
transigerent, illi disciplinas quoq; sapientiamque
venalem se attulisse profitebantur. Cum nemo em-
ptorum dicto caperetur, vltroq; accederet, in littus
egressi idem carminum modo perturbam cantare,
ac obuium quenq; ad eam mercem inuitare cæpe-
runt. Excepta res risu, ad regis etiam Caroli Ma-
gni aures pro ludicrâ peruenit. Is tamen hæc ita
haud frustra fieri suspicatus, accersitos qui essent,
vnde, & quo casu quidue quærentes venissent, per-
contatus, cum nequaquam eius ingenij desipien-
tiæque, vt vulgò dicebatur, responsum accepisset,
familiariùs admotus, ecquam pro sapientia merce-
dem expeterent interrogauit. Bona loca, respon-
derunt, animas ingeniosas & alimenta. Datis ma-
gna alacritate a rege quæ postulauissent, literæ ve-
lut ad vitam lucemq; reuocatæ, alibi quoq; quem
perdiderant, recepere cultum. Clemens Parisijs re-
lictus, regi operis longe omnium magnifici Acade-
miæ condendæ cupidinem iniecit. Alter acceptus
in Italiam, Papiæ erudiendæ iuuentuti destinatus,
in tantum inde sui promouit gloriam ingenij, in
quantum terminos rex sui imperij. Experta in duo-
bus regis benevolentia, plures ex Anglia doctos
excivit Alcohuinum, Herostum, Bedæ quoq; di-
scipulos. Sed hæc sufficient ad præsentia.

Igitur ex ea Academia celebres ibant, primum *Theologi Gal-*
non dignitate tantum & sanctitate, verūm etiam di- *lorum ex Aca-*

Galliam ve-
nientes.

à Carolo Ma-
gno Rege pro
literis per Eu-
ropam restau-
randis accepti
sunt.

Parisiensis A-
cademia ma-
ter Papiensis
Academie in
Italia.

Comitiorum Sapientum,

94

Aemilia Parisiensis.

uinâ sapientiâ incliti viri, *Hilarius* Episcopus Pictaviensis, *Sulpitius*, *Pontius Paulinus* Episcopus Nolanus, *Phæbadius*, *Prosper*, *Eudicius*, *Auitus*, *Mamertus*, Vienensis Archiepiscopus, *Sidonius Apollinaris* Episcopus Aluernorum, *Lupus* Episcopus Trecensis, *Germanus* Episcopus Antissiodorensis, *Eucherius* Archiepiscopus Lugdunensis, *Saluianus* & *Gennadius* Presbyteri Massilienses, *Gregorius* Turonensis Episcopus, *Remigius* Rhomensis Archiepiscopus, *Iuo* Episcop: Carnutensis, *Bernardus* Abbas Clareuallensis. Inde alij. Theologi, *Ioannes Gerson*, *Petrus Lombardus* Magister Sententiarum, *Gentianus Heruetus*, *Franciscus Vitablus*, *Gilbertus Genebrardus*, *Fronto Duceus*. Tum magna manus Iurisperitorum, *Andreas Tiraquellus*, *Æmarus Rancinetus*, *Michael Hospitalius*, *Baptista Menilius*, *Guilelmus Budus*, *Franciscus Oliuarius*, *P. Faber*, *P. Rebuffus*, *Bartholomaeus Chassanæus*, *H. Denellus*, *F. Comanus*, *Ant. Concius*, *Ant. Faber*, *Barnab. Brissonius*, *Dion Gothefredus*, *Robertus*, *Corasius*, *Bellonus*, *Bodinus*, *Charondas*, *Ærodius*, *Castalius*, *P. Gregorius*, *Pythoeus*, *Renatus Choppinus*, *Sta. Forcatulus*, *Enimundus Bonifidius*, *Iacobus Cuiacius*. Hos sequebantur Medici, *Ioannes Fernelius*, *Iacobus Hollerius*, *Andreas Laurentius*, *Ioannes Gneus*, *Iacobus Dalechampius*, *Quercetanus*, *Iudaicus Durethus*. Tandem Mathematica variaq; literarū peritiâ illustres viri. *Orontius Fineus*, *Ioannes Pena*, *Petrus Montaureus*, *Petrus Ramus*, *Michael Nostradamus*, *Franciscus Vieta*, *Petrus Leescotus*, *Iacobus Augustinus Thuanus*, *Petrus Ronsardus*, *Joachimus Bellaius*, *Remigius Bellaqua*, *Hadrianus Turnebus*, *Michael Montanus*, *Mar. Antonius Muretus*, *Iсаacius Causonus*, *Iosephus Scaliger*, aliique.

Anglo-

Medici.

Mathematici
& in varia
doctrina insi-
gnes viri.

Jurisperiti.

Anglorum Sapientes.

Ita ex distantibus terrarum spacijs venientibus sapientibus, suos quoq; Oceanus misit, ingeniorū varietate, præstantia, grauitate, acumine, appellationū apud posteros exterisq; honore insignes, tanquā in suo quoq; orbe mariq; nihil non prouenire posse ostenderet. Primus ante alios veniebat *Beda*, ob virtutē sanctitatem iuxta & scriptorum grauitatem appellatus *Venerabilis*. Comitabantur discipuli *Clemens Claudius, Ioannes Rabanus, Alcuinus, Herostus*. Sequebatur *Ioannes Duns Scotus*, noua subtilitatum miracula inter sapientes inducens, quæ cum multorum superarent captum ingeniaque, ob acre acumen apud Sapientes Doctoris *Subtilis cognomentum obtinuit*. Tum *Guilelmus Ockam* eiusdiscipulus, nouis quoq; subtilitatibus, conditaq; schola Nominalium celebris. Inde *Baconthorp*, ab Italisch dictus *Doctor us Ge. Resolutus, Ioannes de sacro Bosco, Reginaldus Polus, Ioannes Coletus, Guilelmus Lilius, Guilelmus Grocinus, Thomas Linacer, Thomas Lupsetus, Ricardus Pacans, Ioannes Fischerius, Thomas Morus, Guilelmus Latemerius, Cutbertus Tunstallus, Tobias Matthaus, Thomas Stapletonus, Nicolaus Wottonus, Ioannes Barclaius*, multiq; adhuc alij, quos recensere, longa esset & in insuetis à longinquis nominibus vix benigna mora.

Germanorum Sapientes.

Neq; minor fuit Germanorum Sapientum numerus, quibusdam pro more gentis, quæ se in multas liberas

*Bedam puerū septennem in monasterium venisse ferunt Et vixisse 94, annos.
In quodam Epitaphio eius sic,
Hic Scotus in ceo, semel se putus:
Et bis mortuus
us Ge.*

*Styli noni au-
tor Lipsius.*

*Eius imitato-
res Belge-*

*Imitatio eius
quam varia.*

liberas singularesque res publicas diuisit, proprio agmine venientibus. Occasionem ijs dedisse fertur IVSTVS LIPSIUS, homo, vt supra memorauimus, priscorum sapientie prorsus intimeq; deditus. Is audito sapientum conuentu, ratus magis se conspicuum futurum, aliam a consueta sua togam sumpsferat, in qua ingentibus è gemmis literis, artificiosè ductum hoc epigramma extabat. MORIBVS
ANTIQUIS. A multis quia vt verum agnoscebatur, inter cæteros præcipue Belgas sui æmulatione cepit. Igitur velut ad signum textumq; antiquitatis concurrere, se ipsos in similem pompani componere, idem vt promererentur, ore, calamo, imitando exprimere tentabant. Et celsit nonnullis contentio: pleriq; nimiâ ambitione in diuersa abidere. Alij enim tumorem orationis affectantes, in locum regiae maiestatis, tyrannorum immanitatem stylo induxerunt. Alij numerorum fulgetra colligentes, velut Lipsij more & amore, magnum putabant desultoriâ per voces operâ fungi defungiique. Quidam breuitatem esse orationem amputare, vbi minimè quisquam speraret relinquere: elegantiam verò nihil secundum naturam dicere, verbis quibus non quilibet vtitur vti, credebant scriptisq; exprimebant. Vnde variâ quoq; specie circa Lipsium incessere. quidam sufflati ac velut minaces: aliij in eodem vestigio subsultantes: nonnulli suspensi sœpeq; intersistentes: aliij velut in æmulatione

nem *m*

nem Lipsij proprium quoq; vestibus intextum segmentum gestantes, ODI PROFANVM VVLGV^S ET ARCEO. Ita Belgæ.

At alij more gentis maiorumq; procul à fastu, ab ambitione, simplices & expediti iuere. *Albertus*

Albertii Magni mos respondendi.

vitæ sanctitate, modestia, & doctrina *Magnus*. hic per viam cum à studiosis de aliqua re consulereetur, quanquā & memoriam valeret, & tot annorum lucubrationibus physicis in rebus consumatissimus esset, tamen dissimulando vtraq; interrogantes verbo absoluebat, *Quarite, inquiens, in libris Albertum.*

Hunc sequebantur *G. Cassander, Gretserus, S. Gesnerus, Schenkius, Euenckelius, Zasius, Misingerus, Seb. Faber, M. Velserus, I. Leunclavius, M. Cinglius, M. Colerus, H. Vul-*

In varia literatura Sapientes Germanorum.

teus, I. G. Heruartus, I. Sichardus, R. Sixtinus, N. Vigelius

P. Denaisius, M. Goldastus, I. Gruterus, H. Kirchnerus, Hug:

Grotius, H. Bocerus, R. Rulandus, I. Alemmanus, I. Trithemius,

I. Naucherus, Erasmus Roterodamus, B. Renanus, Cranzius, I.

Cuspinianus, W. Lazius, Laurus Surius, H. Golzius, H. Megise-

rius, S. Neugebauerus, Chr. Latimannus, Mich: Piccartus, M.

Bernegerius, I. Kirchmannus, G. Agricola, Rudolphus Agrico-

la, Gu: Canterus, I. Simlerus, I. Sturmius, M. Iunius, B. Kec-

kermannus, D. Baudius, plurimiq; alij. Postea Medici,

Medici.

A. Vesalius, L. Fuschius, G. Copus, I. Crato, Th. Erastus,

Had. Iunius, I. Guinterius, I. Langius, I. Pistorius, Gaspar

Bauchinus, Cornarius, Milichius, Ph. Theophrastus. De-

niq; in Mathematica celebres viri Ioannes Regiomon-

Mathematici

tanus, Paurbachius, Ioan. Stoflerus, N. Copernicus, T. Bra-

cheus, M. Mestlinus, I. Keplerus, Chr. Clavius, I. Stadius,

Reinholdus, Schonerus, duo Appiani, Gemma Frisius, Vadia-

nus, Dryander, G. Io. Rhaticus, S. Steuinus, G. Mercator,
Ab. Ortelius, Seb. Munsterus, P. Merula, Ph. Cluverius.

Polonorum Sapientes.

Celeberrimi
aliquot scri-
ptores Poloni.

Encomia Sta-
nislai Hosij.

Preses Con-
cilij Trident.

Tangitur li-
ber a Zamo-
scius.

Cum iam fortuna Romanorum acquieuisse intra Germaniam videretur, lingua adhuc ipsorum sapientiaque ab ulterioribus oris se aperiens, tanto plus gloriæ intulit, quanto amplius occupauit terrarum. Nondum in oculis, erant iam in ore famaq; omnium Poloni, & quanquam longo terrarum diuortio discreti, à multis tamen etiam absentes ad nomen recognoscabantur. Stanislau Hosius vir & in maorum suorum nouitate nobilissimus, & in gentis nobilitate eminentissimus, non falsis populi vocibus titulisq; cum Ecclesiæ columna, Malleus Hæretorum, Polonicus Patriarcha, Senex Abrahamicus, Magnus Hosius, Prælatus probatissimus, Alter Stanislaus, Nouus Bessario, seculi sui Augustinus diceretur, & Romam ad purpuram, & Tridentum in sanctissimi totius orbis comitij præfeturam, à tanto recessu euocatus. Jam alij quoq; propriâ ingenij ac sermonis gratiâ famaq; permultis accepti, Martinus Cremerus, in historia dalecis & decoctus: Stanislau Orzechowius, in orationibus vehemens & disertus: Stanislau Rescius in sermonibus elegans & copiosus. Neque omnibus minor Ioannes Zamoscius, cum in Romanorum senatu describendo, quam se in suogendo grauis, sapiens, innocens, sanctus, amplexus ducas sic studia ut pauperes solent, sic doctos

Eos ut diuites debent, addictis quoq; literis in urbe
sua tectis laribusque, quod vix soli faciunt reges.
Igitur his alijsq; sibi reuocandis memorandisque
irritata hominum curiositas, cum aduentum ipso-
rum audiissimis oculis expectaret prospiceretque
diu nemo veniebat. Quanquam enim multi se cu-
perent properarentq; in conspectum populi dare,
Ioannes Lascius, Andreas Cricius, Stanislaus Karnkouius, Io-
annes Demetrius Solicouius, Martinus Biatobrzescius, Andre-
as Patricius Nidecius, Ioannes Dlugossia, Andreas Li-
picius, Ioannes & Felix Herbuti, Ioannes Kochanouius, Lu-
cas Gornicius, Stanislaus Sarnicius, Christophorus Varsauicius,
quorum ingenia ac doctrinam ipsæ infulæ domesti-
caq; nobilitas ac fortuna, notitiae hominum expo-
nebat; quò tamen res illustrior fieret, alliceretque
maiori numero spectantium plausum, aliorum co-
mitatum præstolari malebant.

Mora vero potissimum in Academicis fuit. Ho-
ru multi minime ad scenam oculosq; populi facti,
eximi modestiæ consuetæque solitudini nolebant;
aliros non sufficiens longo itineri paupertas, mi-
nusque tantâ pompâ dignæ vestes pannuciæq; do-
mi tenebant. Unicum tale genus hominū, vtroq;
velut multatum Polonia habet, nec censu publi-
co quæstibusue regno, nec sensu de se & ambitione
cuiquam graue. Sola eos & simplex in Deum pro-
pensio amorq; honesti, ad seueram & constantem
virtutem adigit. Non in amplis reddituum latifun-
dijs, sed in læta paupertate, contenti quod multis *hoc est: Mar-*

*Academica Za
moscenſis ab
eo condita.*

*Nobiles Po-
lopi scriptis
suis illustrio-*

*Academicorū
Cracoviensī
paupertas.*

*cis vernacu-
lus, quarum
una facit gros-
sos 48.*

primarium stipendium est, decem & aliquot vernaculis minis, literis regnoq; merent. Fecunda tamen hæc, quamvis egena, dum sola viguit, ipsorum industria fuit. Per ducentos amplius annos, haud à pluribus numero, quām quadraginta ex vna

*In paupertate
et virtutes.*

Schola magistris, sapientiam vsique suo conuenientes ciues, totum sumebat regnum. Quos hi fide sua reipublicæ dederant, non excepti in munia ut chamaleontes, ad mores se & tabulas alienas reconcinnabant, sed imbuti honestate veritateq;; eam in omni fortuna retinebant: non ampliandis possessionibus ædificandisue gentilitijs penatibus, sed agendo, laborando, existimationi & famæ ultra filios ac nepotes longissimè ad posteros manaturæ consulebant: non oculis naribusq; defecti aut hebetes in vtramq; aurem dormiebant, sed acri solertia & sagacitate prædicti, incommoda periculaque reipublicæ, à longinquœ odorabantur præsentiebantque. Neq; minus institutione ac moribus quibus incolas imbuebant, quām sua scientiâ industriâque doctis tantum notâ valebant. Magnum & inter istos alia quoq; ipsis faciebant locum. nihil non par effectum, ad quorumcunq; se ingenia aliquando conformarunt, vel si hoc verecundia ipsorum recusat, applicuerunt. adductum per eos, atq; in media Polonia conditum Latium, ipsaq; Humanitas vsq; ad Ponti Euxini dilatata oras. docti, sæpe Musis suis pauciores, nec in minori paucitate numerosiores,

*Ingenia eorum
& industria.*

merosiores, nec in angustiori paupertate fecundiores vspiam propagati. Quantum alijs cælum naturaque, tantum his cura laborque fauebat. Ea sola infelicitas habuit, quod tot terrarum mariumq; discrimine ab exteris ingenij subducti, nec quam optabant ipsorum habere, nec quam habebant suam proferre poterant sapientiam; ingens nomen paresque virtutes, secessu paupertate, verecundiâ, typographiæ inopiâ, alijsq; fortunæ iniurijs velut opaco & tenebris præfocantes. Adhæc dum multa in tanta vastitate eos latent dum timent, neq; præsenti de comitijs famæ nimium credebant.

Augebat suspicionem quidam, qui nummis inaniter in exterorum libros sæpius profusis, cum ex ijs emolumenti haud multum retulisset, solegne habebat damnum commentis & petulantioribus iocis de ijs vindicare. Vnum ex multis referam. Celebrabatur in vrbe totius Poloniæ nobilissima, vbi Academiæ quoq; sedes est, Cracoviæ mercatus, cōfluebant, vt fieri solet, intra eius mænia velut ad cōpendium domesticæ & externæ opes, tabernæque rerum venalium frequentia plenæ emptorum turbam à longinquo adducebant. Ibi cū multa librorum volumina Ioanni Burchardo, qui vnuſ tantum in regno Bibliopola erat, missa, venisse nuntiatum esset, aliquot Academicí eius officinam adierunt: hic vna cum ijs. noui quod pro nundinis aduentum haberet, sibi ut ostendat rogant. Protulit

*Incommoda-
cur non ut alij
exteri clarent*

*Libri in Polo-
niam vel non
inferuntur vel
humiliorum
scriptorum.*

*Institor libro-
rum in toto
regno unus.*

*Qui pro libris
sepius ostendat Indicem.
Francofurtensium
semper.*

*Tempus quo
egre quoq; e-
stiam si cuperes
libri habentur*

ille statim, acceptum è proximis Francofurtensi-
bus nundinis, quem à typographis imprimi, dimit-
tique per librariorum tabernas mos est simplicem
libellum. Hic intentissimis oculis cum aliis alij
autoris nomen ex indice ignoto velut ex vrna
sorte educeret posceretque, negauit ille quidem
sibi vlla interim istorum exemplaria adesse, cæte-
rum si vellent, pecuniæq; non parcerent, curaturum
ut intra decadam hebdomadarum, neq; enim cele-
rius posse, Francofurto transmissi venirent. Ergo
ne hoc ipsum differret, cù ex ijs vnu captus nescio
cuius libri titulo nomineque, ex vestium recessu,
pecuniam pro arrabone traheret uumeraretq;, hic
de quo dico, iniecta illi manu, Suadeo, inquit, si
modo apud te quoq; distant æra lupinis, caue ne
mancipium emas, pretium bonis autoribus, fru-
gesque tantum consumere natum. Iocari ipse ho-
minem poëticis ambagibus dicens, quid ijs vellat
expectauit. Tum ille expositurum se recepit æni-
gma, remq; totam in medium allaturum, si vellat
audire.

*Cur etiam a-
pud exterorū
hodie inopia
virorum mi-
nusq; subli-
mes scriptores*

Conuersis igitur in se aliorum quoq; vultibus
auribusque, Est, inquit, apud exterorū amicus mihi
vetus & coniunctissimus, qui rerum illic peritissi-
mus, quotiescumque noui aliquid accidit, absenti
mihi minutè & perspicuè transmittere solet. Inter
cetera hæc nuper ab illo accepi. Ingentem ac in-
suetam rei literariæ inopiam in illis oris exortam
fuisse.

fuisse. Neminem diu sapientum visum, qui non modo ad opulentiam Macrobij aliqua Saturnalia, aut ad delicias Alexandri dies geniales, aut ad voluptatem A. Gellij noctes Atticas instruxisset; verum etiam tanquam ex illis terris omnino pulsâ superiorum ætatum felicitate, qui non summâ domi angustiâ ac propè fame laborasset. Igitur cum malum nec ferri nec dissimulari diutius posset, placuit præcipuis, quosq; priuatim publice q; id afficiebat, Censorum operam poscere orareque, causas sedulò inquirerent, quas ad proximas Kalendas in frequenti sapientum senatu, ut moris erat, referrent. Suscepserunt libentes inquisitionem, cumque in omnia diligentissimam obseruationem verterent, opportuna occasione, per viam in aliquot inter se digladiantes inciderunt. Pugna clamore & voci feratione magis quam manu constabat. *Vindiciae, vulgo inter sa Libri qui nunc
Responses, Facula, Apologia, Coniectanea, Emendationes, pientes cudentur.
Obseruationes, Confutationes, Satyra, hinc inde volabant, tur.*

rapi-

Pulchre Hippocrates in omni copia inopiam esse ait.

rapinamque venit. Neq; aliud in culpa, quam nimiam literatorum fecunditatem, nullis in dominibus numerosiore proueniente sobole liberisque, quam apud pauperimos ex plebe. Hinc annonam, hinc famem, aliaq; his grauiora mala incendi, cum deficiente tantæ multitudini alimoniâ, parentumq; impensâ, alij in viles & sordidos quæsticulos, hi in alienas quadras; alij in fraudes latrociniaq; , & bonorum depopulationem, à pariter egentibus desidiosisq; parentibus domo extrudantur. Huc accedere typographos, bibliopolas, mangones iam, scrutarios, veteramentarios ex opulentis olim institoribus factos, qui pariter egentes, quicquid illi fraudibus corraserint, quicquid somnio noctuque surreptum ad eos detulerint, illico excipient, distractrant, diuendant. Et oratio valde quam vero proxima fidem apud Censores, & relatio testimoniumq; Censorum remedium apud Patres inuenientur. Igitur frequenti in eam rem habito Senatu, promulgatae sunt hæ leges. Decemuiri cuiusq; sapientis res familiares inspiciunto, potestatem in eos habento: vnde quisq; se alat, quod genus vitæ, quod opificium exerceat vidento. Si qui æris rerumque alienarum, confessi aut conuicti fuerint, triginta dies quibus res pangant, dominisq; restituant, iustos dato: postea manus iactio esto, in ius ducito. Ut iudicatum fuerit ni pansit, & alterius esse fateatur, domino addicunto. Dominus vindicato

Leges quae edentes libros seruare debarent.

cato aut neruo aut compedibus quindecim pondo. Vindicatum, si volet domi ad tineas blattasq; habet: si volet, in insulas deportato, vendito. Iamq; satis palam se fecisse, quid obiectis sibi ambagibus, quid poëmate voluisse existimans, rursus ad eundem conuersus, Age igitur, inquit, & quam pretium pro scriptore numeres, prius cuius sit conditionis exquire. Idem enim expendendis pecuniis quod libris edendis debetur, ut nonum premantur in annum. Nam ne quod reliquum epistola habet te ignorare permittam. Infiniti propè his legibus creditoribus addicti, corpore satisfaciunt. Pauci domi retinentur, plures in varias insulas deportantur, Francosurtique catasta pro ijs facto, qui ceruicoso torosoq; sunt collo, ad baiulorum opera obeunda, mercesq; obuoluendas deportandasque, qui mollioribus delicioribusq; humeris, ad deferendos carptim per vicos, thus, odores, piper, multi prodigiosis per titulos frontesq; notati literis, ut frugi & docti & literati ad nostras insulas inde extruduntur aduehunturq;. Igitur per hæc similiaq; commenta cum existimationem exterorum immi- nueret, atq; non nemo iam, de demenso suo emptis libris frustratus, pænitentia minora de illis crederet, tunc quoq; iter hoc ad comitia distrahenti dis- suadentiq;, multi iam, & ad impendium segnes, & minime curiosi accedebant. Quin solitariæ vitæ, *Qui insigni li- pauperi priuatoq; foco & tacitis lari bus suetos, nisi beratute*

*In pecuniis ex
pendendis idē
quod in libris
edendis pau-
peribus ser-
uandum.*

*Nec in Polo-
nia sane sed
alibi quoq; id
malum.*

*Academiam
Cracoviensem
sublevarunt.*

Ioannes Zamoscius, Ioannes Lubrancius, Petrus Tilicius, Bartholomaeus Nouoduoscius, alijq; complures, vt literas vel amabant, vel simul etiam callebant, auctoritate liberalitateq; sua in publicum extraxissent impulsifentque, illo tempore conuentus sapientum comitiumque, Polonorum ingenij caruisset. Ergo præmissâ nobilitate, tandem & ij cultu suo se ad iter

*Ex Academia
Cracoviensi
viri docti
scriptores no-
biles.*

*Matthias de Miechow, Ioannes Leopolensis,
Martinus de Ilkis, Albertus Nouicampianus, Simon Maricius,
Albertus de Brudzewo, Ioannes Honterus, Nicolaus de Btonie,
Iacobus Gorscius, Benedictus Herbestus, Martinus Nericius,
Stanislaus Socotonius, Stanislaus Grepstus, Ioannes Latos, Pe-
trus Lilia, Adamus Burzus, Ioannes Vrsinus, Sebastianus Pe-
tricius, Ioannes Clobuccius, Andreas Schonatus, Nicolaus Do-
brocescius, Adamus Romerius. Hos secuti in quocunq;
suscepti operis studio nullis secundi viri, Bernardus
Paxillus, Stanislaus Grochouius, Nicolaus Copernicus, Cle-
mens Ioanicius, Iosephus Strutius, Thomas Dresnerus, Nico-
laus Moscicensis, Sebastianus Acernus, Simon Simonides,
Abrahamus Bzouius.*

Femine.

*Rixa & con-
tentio femina-
rum de via.*

Claudi iam Polonis Sapientum agmina itineraque videbantur, cum vtraq; adhuc fæminarum aduentus extendit. Digna principiò res erat visu risuque. Nam vt quæq; venustior comptiorque speculo aut famâ sibi placuerat, ita se ante aliam cogere, de gradu situque contendere, hæc dux, illa alteri comes & par velle fieri, eaq; causâ se inuicem dictis factisq; petulantioribus petere cæperant. Neq; eo tantum

tantum se certamen continuit, sed in partes ac prope acies diductum, suasu plurium in nouum Senaculum exiit. Repetitæ in eo recitatæq; ex veteri, quod in monte Quirinali fuerat, muliebres leges & tabulæ: quid quæq; gestare, quo indui, quo amiciri, quo cingi deberet, quæ aliam præire sequiue; quam pedibus, quam pilento, quam equo saginario, quam asino, quam carpento mulari, quam boibus, quam sellâ vehi; quam annulos, quam pellicia, an ossea, an eborata, an argentata, quam currum aut gemmas habere oportuit. Quæ cum multarum coercitionem & infamiam poscerent, magna iterum contentio, magni clamores fuere, alijs cognitione legibus conclusâ se iudicari tenerique, alijs eximi volentibus. Nouissimè quædam, ægre impetrato silentio dicendiq; potestate, ita differuit.

Si, quanta aliquando nobis libertas dignitasque fuit, tanta hodie quoq; maneret, quicquid agere ferreque liberet, sine cuiusquam respectu curâque perageremus: nunc, oderitis licet confessionem meam, quoniam vtraq; dilapsa atq; à viris erecta nobis sunt, cauere debemus, ne quod adhuc istorum nobis superest, in tanta virorum circa nos observatione, & suspicionum malignitate, nostris controuersijs destruamus amittamusque. Non rem arguo, non vos, quibus si nihil iam reliquum est, mundiciarum saltem, cultus, ornatusq;, ne in ista sine discrimine passim omnes effunderentur diffue-

*Senaculum
seminarum*

*Eius senatus
consulta: que
vide apud
Lampridum
in vita Anto-
nini Heloga-
bali.*

*Oratio apolo-
getica fami-
narum contra
calumniasque
vulgo ipsiis o-
bijcuntur.*

rentq; propria esse cura debuit. Sed cum obseruantur sermones, custodiuntur opera, dierum noctiumq; momentis in secreta sagax scrutator assit, adhæc verbis ablata fides, æquitati autoritas, is non habet profecto causam, non rationem bene etiam agendi, cuius suspecta sunt omnia. Malo flagitium quod non veretur infamiam, malo relinquere præualida & adulta vitia, quam id insuper adsequi, ut palam viris fiat, quibus flagitijs impares sumus. Sane putate me nunc in tam æqua, in tam seria re, à viris petere: bonâ veniâ ipsorum liceat Senaculum nobis, vt iam facimus, cogere, leges, rogationes, in luxum, in libidinem ipsis nobisque salubres decernere. quo animo id accepturos, quid responsuros creditis? nisi vt quodcunq; istud, seu placet seu displicet, seu vtile seu inutile, seu æquum seu iniquum, confessim omittamus: neq; illud iterum portenti contingat, quod Romæ ab una, quæ causam suam in foro dixerat contigit, vt Deos consultum mittant, quid hac postulatione, quid petitione nostra portendamus. Omiseram sexus conditionem, cuius ipsæ quoque timentur virtutes. Evidem haud diffiteor, esse sua fæminis vitia, esse delicta, corrumpi hæc quoque pectora irâ, metu, odio, quæ tamen omnia si æstimentur, tanta sunt ut virorum flagitijs exæquari non possint. Cui enim mulier facinori sufficit? quod parricidijs, cædibus, latrocinio idoneum robur habet? Maximum eius scelerum

*Portentum
habitum quod
fæmina ~~cædi-~~
sam suam di-
xerat in foro.*

scelerum est cogitatio, impetus animi, qui statim
frangitur infirmitate corporis, soluitur destitutus
ministerio membrorum. Eximit nos ipsa imbecil-
itas ab immanitate peccandi, nec præter animum
alias ad scelera vires habemus fæminæ. Nunquam
tamen maius se operæ pretium facere putant ma-
ligni sermones, quām si flagitorum monstrorumq;
nouitatem nobis circumdent, quām si de nobis fin-
gant nefanda. Ille inter alios ingeniosior, ille fe- Ditteria in-
stiuor est, qui atrociora excogitauerit, qui male-
dixerit, qui conuictatus fuerit mulieri. In hoc sibi
viri, in hoc masculi videntur. Ignoscite libertati,
quæ contra putidos iocos mendaciaque bonâ con-
scientiâ exæstuat. En præclara ipsorum urbanitas
argutiæque. Ioue tonante fieri beatum, cum nisi Caronis sentio
ingenti tonitru edito se mulier pauida vxorque am-
plexui seueri mariti virique committeret: Mulieri ris.
ne mortuæ quidem credendum: Mare, mulierem, Diogeniani.
ignemque tria præcipua esse in mundo pernicio- Græcorum.
saque mala: Apertè cum mala esset tum bonam es- proverbiū.
se: Aut amare, aut odisse, nihil scire tertium. Quid Seneca v.
tragi.
ille titulus sepulchro sibi suæque vxori appositus,
iurgij & opprobrij plenus?

Heu viator miraculum.

Hic vir & uxor non litigant.

Qui seruus non dico.

At ipsa dicam:

Hic Bebrius ebrius, me Bebriam ebriam nominat.

Heu uxoretiam mortua litigas.

*Feminæ na-
ture inquit A-
ristoteles est
conuictandi cu-
piditas & que-
rula natura.*

*Arrivis à Pa-
cuius vicino
hoc petiit.*

*De Semira-
mide scribitur
eam primum
zenellos ma-
res castrare
orsam.*

Quid illa petitio fæda & insana? cum tres vna post aliam se à marito, fædiore tristioreque ipsa morte suspendio liberassent: Cedo mihi quoq;; rogabat vicinus, surculum, quem horto meo inferam, vnde crescat arbor, ex qua mea etiam pari felicitate pendeat. Hæc aliaq; maiora forbenda tamen coquenda nobis sunt, pro his quæ ne vir quidem natus toleraret, cum illis atque adeò sub illis viuendum est. Æstimate deinde quæm ista faciant exitum, quæm inter alios nos reddant inuisas. Scilicet his persuasi plurimi à nobis se velut infidiis segregant, timent occursus, non audent adire colloquia, fugiunt conuictus, excogitant secreta, diuertia, quomodo melior in illis affectus hominis pereat, quomodo gaudium, vitæ lætitia, quomodo, inquam, amor ille, quo totius mundi compago & societas tenetur, quo expertuntur amicitiæ, ducitur vxor, amantur liberi, atq; is ne rubore, tormento, desperatione, velut aliquo remedio quandoque reueratur, adhibent, quod sine pudore effari non possum, virilitatis ademptionem. Parùm se mendacijs agere, non sufficere fastidia contemptusq; putant, id scilicet adhuc deerat, vt de corpore suppliciisq;; alij aliis potentius de nobis crederent. Sed agite dum, poscite tandem huius odij impleant causas, dicant quod tantum nefas de nostris profilit pectoribus, quid illos in tam misera facta præcipitat? Quid contra nos allatuos, quid nobis obiecturos putatis?

putatis? nem pè illud vnum quo inter homines excitatur charitas, fouetur benevolentia. Totum inquiunt virus, tota pernicies nostra est, forma, lætior vultus, blandior facies, mollior sermo, quæ prudens natura imbecillitati nostræ adiunxit, quibus deliniremus iracundias, e blandiremur fauores, propter quæ hostis ipse nobis opem ferret vel parceret. Nullius per hæc turbatur integritas, nullius expugnatur animus, nullus, nisi qui ipse prius intulit, questus est se à nobis accepisse calamitatem. Stupra, incestus, adulteria, illiciti concubitus, efferi amores, impotentissima desideria, noua fateor non sunt, committi, fieri solent, sed de moribus virorum. Mulier mala est, quam viri fecerunt. Quid enim ad corrumpendam expugnandamque *Amantis icon.* pudicitiam, & simplicitatem nostram illi non faciunt? quas artes calliditatesque non adhibent? vt puellæ quæ placuit, occursu aspectuque fruantur, inueniant colloquia, mereantur sermones, deferant sui animi mentisque cruciatus, sollicitent precibus, querelis, non abeant, non discedant donec misereatur & diligit? Neget licet misera, abigat, pellat, excludat, castiget, faciat quod facere potest, ratio, veritas, consilium; contentio ipsa furorem magis accedit, nec in amantem aliud remedium proficere potest, quam amari. Ipse deinde deformis pauper, destitutæ sanguine genæ, caui oculi, macies, mæror, tristitia, attrita vestigiis limina, ut

ad

ad hæc castitas turpis sit aut crudelis, an non obrue-
re possunt repugnantem? Non est mulieri ferreum
pectus, non cor silice concretum, habet miseratio
impetum suum, nec rationem aliumue dominum
nouit talis affectus. Expugnatur tandem simplicis-
sima puella infelicis aspectu, precibus, laboranti
sui facultate succurrit, ad tantum tamen quod com-
misit nefas, opus habuit charitate, pietate: vir, furo-
re, amentia. Scelus aliud, aliud facinus de fæmina
tanto incredibilius est, quanto illud virilis mentis
vix capit audacia, quod ipsi qui illud magis pos-
sent de se non fatentur. Atq; ego quanquam ho-
rum aliorumq; de nobis prodigiorum, nec causam
nec rationem reperiam, tamen perferre omnia ho-
nestius quam purgare, aut quibuscunq; factionibus,
nouis contumelijs suscitare materiam, satius esse
existimo. Evidem abière iam illa tempora, cum
nullus nobis ab alijs erat respectus, cum viris quoq;
dominabamur, illi colū pensaq;, nos forā, negotia,
militiam curabamus; cum cautores & prudentio-
res singulos delumbando, claudos in vnum usum
habebamus, alebamus, causâ tantum liberorum,
Tenemur eiusdem nunc fortunæ indignâ vicissitu-
dine, depellere semel acceptum seruitum non pos-
sumus, nouissimum saltim id inter mala nobis sola-
tij superfuerit, vt intra id quod haec tenus passæ fu-
mus, omnis nostra querela consistat. Satis iam fa-
bulis, satis suspicionibus, satis malignitati datum,
probari

*Id fiebat sub
Antianira A-
mazonum re-
gina.*

probari id quoq; commodum non potest, quo plurimum furorem vel iniuriam commoueas. An excidit quibus vinculis alligatae, virorum arbitrio adstringimur? quâ prope suclamatae inuidia à multis illorum timemur? Omnia nobis adempta sunt, fora, cætus, honores, comitia, commercia cum viris quoq;, egressus, nullam ne priuatam quidem rem agere nos sinunt, circumponunt colloquijs parentes, fratres, propinquos, quibus omnibus adhuc nec satis fidere audent. Quid porro? vbi inter eos vulgabitur, id audaciæ nobis fuisse, aliquid illis absentibus censere, ferre, ac velut in ius eorum irrepere voluisse? Quàm secundis auribus Philosophos, inter quos nunc nobis comparendum est, id accepturos putatis? Consurgent scilicet serij, graves, secundâ in nos solas sapientiâ, declamabunt in mulierum vitia, maledicent, conuitiabuntur sexui, damnabunt sacros inter homines affectus, damnabunt matrimonia, coniugia, liberos sanctaque pignora despicient, suo odio, insaniâ alios implebunt. Quæ aliaq; plura cum haud dubiè secutura præsentiamus, plus obsecro valeat apud vos, omnium nostrum quæcunq; adhuc nobis superest, dignitas, quàm nonnullarum libido, plus existimatio, quàm falsa morum correctio. An clementes olim à viris in nos latæ leges fuerunt? si quid committat mulier impune eam necare viro: si vir, mulieri ne digito eum contingere liceat, neq; fas siet. cautum

P

etiam

Philosophi antiquorum uxores aggrediebant.

Leges in mulieres late.

Vnde oscula
orta.

etiam seuerissimè vt vino abstineremus: in id vnum inuenta oscula, in id permissa fuerunt, vt odor indicium de nobis faceret, si quæ contra legem bibisset.

Ad dolum, deprehensam uxorem maritus fuste interermit & à Romulo absulatus est.

Quid tamen diligentia, quid leges profuerunt? quot fuere, quæ quo magis vetabantur, hoc ardenter concupiscebant? quot in delicto deprehensæ damnatae; tandem impune eadem transcenden- dendo, securiorem alijs luxum fecere? Quid vero

in præsenti re vos effecturas putatis? Lex sumptibus modum faciet, vir qui lege nostra non tenetur non faciet: quæ nolens fecerit, se viro excusabit, quæ volens, eundem monstrabit. Multa non mouere melius est quam accendere: & luxuria neglecta tolerabilior erit, quam vinculis constricta, postea sicut fera bestia emissæ & irritata. Cui ego quidem intra animum potius cuiusq; quam legibus medendum existimo, alias modestia, diuites facetas, pauperes necessitas in melius mutet.

Mirum qua intentione & assensu, ab ijs etiam quæ tumultuabantur, oratio excepta est: tantaque post eam mutatio fecuta, vt quæcunq; ambitione, aut praua curiositate incitatæ, se bonis immiscuerant, repente mutato consilio, conscientiæ metuue, aliæ dissimulanter & furtim, aliæ palam à cætu & comitjs recesserunt.

Fæminæ Sapientes.

Chaldei Sibyllas Samberthas appellat. Egesto quicquid fuerat turbidum, redijt concordia cæteris. Primus honos viaq; Sibyllis data, non vestestate

rustate modo, sed fatorum oraculorumque denun-
tiatione, magnam ipsis conciliante reuerentiam.
Vnicum id nomen à conscientia cælestium arcano-
rum factum, per omnes, quanquam nationibus ter-
risque diuisas, hominum consensu manauit. Nec
in eo aliud mirabilius, quam nullam prope partem
mundi, Sibyllam non habuisse; vt multiplici illa-
rum prouentu, constaret mortalibus prouidentia
curaque Numinis. Per multa hæc, quæ ne opinari
quidem alias quisquam potuit, longissimo post se
ventura æuo, tanquam testes & suis oculis visa ho-
minibus prædixere cecinereque. Deum se aliquan-
do de æterno solio, in humilitatem mortalis gene-
ris demissurum, carnem humanam in utero Virgi-
nis suscepturnum: more nascentium sub mammis
laetèq; editurum vagitus: diuinitatem magnifico-
rum operum virtutumque comprobaturum mira-
culis: eundem humano more vi illata in Cruce mo-
riturum, triduo postea sub terris moraturum: dein
repetita integritate priori, vt ab hominibus iterum
videri, appellari, tangi possit, remeaturum ad vitā:
postremò ex eorum commercio, ad sedis suæ maie-
statem & superaabiturum ascensurumque. Quæ
pauca ex maximis, aliaq; omnium omnia, scrupulo-
sâ hominum diligentia in unum congesta, libri Si-
byllini & Fatales vocabantur. Digni vel ob hæc
ipsa, quibus Romana maiestas tantum honoris ha-
buit. Nam nihil tam sanctum aut sacrum, vt hos li-

Quæ magna
fidei arcana
Sibyllæ pre-
dixerunt.

Libri Sibyllini
Fatales voca-
bantur.

Honor eorum
apud Roma-
nos.

bros putabant. Hi clarissimorum ciuium custodiæ dati, nisi in Capitolio & Iouis sacrario seruari, hi priuatim à nullo haberí, à nullo sine suis custodibus, inspici, adiri poterant. Hi terrarum imperio imperabant: hi domos, fora, fasces populi Romani regabant, acies, bella, impellebant, retinebant, iubebant, prohibebant, cludebant, reserabant. Nunc ipse Sibyllæ dicendæ sunt.

Prima hec
votata fuit
Sibylla.

Vetustissima, & à qua primum Sibyllæ nomen cæptum, atq; in alias propagatum est, DELPHICA fuit, nomine *Anthemis*. Multos ab hac acceptos versus, suis operibus inseruisse Homerum ferunt: quorum potior religiosiorque fuerit memoria de Christo, hi feruntur.

Quid vatici-
nata de Chri-
sto.

*Impinget colaphos viro sagi, spuma scelstis
Israel labijs, necnon & felis amari
Apponent escam, potumq; immitis acetii.*

Hanc secuta ERYTHRÆA, ab Erythra Ioniæ vrbe vocata, nomine *Heriphile*. Noscere sub vnius exemplo, singularum æstimationem iuuat. Quippe per C. Curionem Consulem, restituto Capitolio, cum versus huius Sibyllæ superesse haberiq; per Græciam auditum esset, decreti à senatu missique tres legati, qui auctoritate publicâ singulos cum curâ conquirerent, Romamq; deportarent. Colle&ti circiter mille, in quorum gloria & admiratione hæc quoq; *enarratis & sententia de Christo ex primis initialibus* literis cuiusque versus concinnata legebatur.

Scribus. Au-
gust: se legisse
banc Acristi-
chidam.

IHEOTÆ

Pars Prima.

111

ΙΗΣΟΥΣ ΧΡΙΣΤΟΣ ΘΕΟΥ ΓΙΟΣ ΣΩΤΗΡ.

Hoc est

IESVS CHRISTVS DEI FILIVS SERVATOR.

Quo artificio & nouitate poëmatis captum M.
T. Ciceronem, Latinè idem eodemq; ordine reddi-
disse, & suis lucubrationibus inseruisse aiebant. Sed
illa quoq; de ea relatio breuiter amplectenda est.
Ferebant Apollinem amore huius Sibyllæ captum,
poscèdi ei, quod vellet, in terris arbitrium dedisse.
illam haustis è terra arenis, quantum vtraq; manu
continuisset, tantum poposcisse annorum. Id fieri
posse Apollo respondit, si Erythræam insulam re-
linqueret, nunquam eam visura. Venit igitur Cu-
mas, vbi postquam plurimorum annorum ævo, in
virium iam defectu & sola voce duraret, acceptâ
à ciuibus suis epistolâ, more antiquo cretâ signatâ,
visâ in ea patriâ, in mortem soluta est.

Nec famâ aut oraculorum æstimatione mino-
rem Babylon quoq; Sibyllam protulit, à Cumis,
quas vaticinio dilexerat, CVM ÆAM vòcatam. Ora-
tori illa præstantissimo, hæc haud inferiori poëtæ
Virgilio placuit: qui cum sub Augusto Imperatore
Romano, miracula & signa quæ illa de Christo eo-
dem tempore nascituro protulit deprehendisset,
non altius aspirans, omnia in Cæsaris Romani, quo
nil maius nouerat, transtulit reflexitque aduentum.
Imitationem palam hæc testantur.

Vlîma Cumæi venit iam carminis ætas
Magnus ab integro seclorum nascitur ordo

*Apud Eusebi-
um in oratio-
ne sua Con-
stantinus Im-
perator Cice-
ronis hanc æ-
mulationem
se vidisse te-
batur.*

*Vnde adagi-
um: Sibyllæ
vivacior.*

*Virgilius mili-
te accepta car-
mina pro Au-
gusto translu-
lit que erant
pro Christo.*

*In Bucolicis
Ecloga 4.*

Iam redit & Virgo redeunt Saturnia regna:
Iam noua progenies celo demittitur alto.

&

*Huius in aduentu iam nunc & Caspia regna
Responsis horrent diuūm, & Maeotica tellus
Et septem gemini turbant trepida ostia Nili.*

Adeoq; nihil fuit quod Sibyllæ non denuntiaeuerint: ut SAMIA quoq; nomine Phyto agreste & onerum gerulum animal, recepturum in sedem, dorsoq; gestaturum Dominum & triumphatorem, hoc carmine prædixerit.

*De Christo
vaticinium.*

*Supputatione
nominis I E-
S V collectam
ex carminibus
habet Bed. I.
lib. 1. cōmen:
in Lucam.*

*Hec Tarqui-
nio attulit li-
bros,*

*& cum nolle
statim emere,*

*Salua esto Sion permultaq; passa puerilla
Ipse tibi in scenso Rex en tuu intrat asello, &c.*

Sed inter cætera mirum quo Sibyllæ CVMANÆ vaticinatio processerat, *Amaltheam* hāc, alij *Erophilen* & *Demophilen* vocabant. Quippe nomen IESV, ad cuius appellationem genu nixo creata procumbunt, quod profanum erat ante Angelum, ore mortali effari, ipsa numeris comprehensum, ita multò ante aperuit prodiditque, vt computatione subtili & diligentí literarum plenè computantibus resultaret. Hanc eandem Anum hospitam & ignotam adiisse Tarquinium Superbum aiebant, nouemq; secum libros attulisse, dicentem, illos esse oracula diuina & venales fore. Regem perconstatum pretium, cum nimium & immensum ab ea posci haud obscurè præ se tulisset, illam accenso coram igniculo, in eumq; tribus coniectis ac perustis, quæsiuisse, velletne sex alios eo pretio comparare,

quod

quod primum omnibus statuerat: enim uero tunc Tarquinium delirantem senio fæminam procul dubio credidisse & derisisse profusius. iam tribus adhuc alijs in eandem flammain coniectis, tres qui soli supererant porrexisse regi, blandiusq; deinde, & in modum consulentis, nihil mutato pretio, ut eos emeret hortatam esse. Regem muliebri fiducia attonitum, libros, quo suadebatur pretio, reliquos cōparasse. qui diu deinde sancteque à Romanis seruati, tandem nec ipsi ignem effugere, incensi cum Capitolio Syllanis temporibus.

*ex nocten.
combussit sex.*

Cumanam secutæ aliæ Sibyllæ, proprijs quoque miraculis, sed non ita, ut hærere in ijs debeat naratio, illustres: *Sibylla Helleponica, Sibylla Ebyca, Sibylla Persica, Sibylla Phrygia, Sibylla Tiburtina* quam Albuneam vocabant, minimè per transcursum referri debet, sincera vates, & quâ nullam usam fuisse apertiùs ferunt gloriâ artis. Ijsdem enim, quibus Augustus Cæsar, florens temporibus, cum eum successibus favoreque populi elatum, à suscipiendis, qui offebantur, diuinis honoribus sèpius prohibuisset, potens Deum verum, quem prædicabat, ostendere, manu familiarius prehensum, adductumq; per noctem in Tarpeium collem, Virginem in cælo, inq; eius sinu infantem sidereum sedentem monstrauit. Extat huius visionis Romæ clarum etiamnum argumentum, in eodem loco, quem, cælum suspici-
*vbinunc tem-
plum est Ber-
nardinorum.*

peræ

peræ Virgini, Arag dictum cœli. Nunc alias quoq; nomine tantum percurrere libet, neque spernendo quod alij de ijs attulerint, neque credendo quod extra decem, secreta sua pluribus credere Deus non potuerit. Hæ igitur adhuc nominabantur *Sibylla Europæa*, *Agrippina*, *Phemendé* filia *Apollinis*, inuentrix carminis, ut ferebât, hexametri, *Calophonia* dicta *Lampusia*, *Elyssa*, *Cassandra*, *Sibylla Epirotica*, *Thessalica Mantho*, *Carmenta*, *Fauna*. Et præter gentiles, *Hebrææ*, *Delbora*, *Mariamme* soror Moysis & *Aaron*, *Olda* Selrni vxor, *Anna* quæ Christum cum circumcideretur, in templo agnouit. Nec Christiani sua caruere Sibylla cui nomen *Hildegardis*.

Enarratio feminarum doctrinæ illustrum.

Sed reddenda post Sibyllas tandem proprio ingenio industriæque fæminarum gloria est, eò impensis, quò sexus per se imbecillus suomet nixu laboreq; maiori miraculo maximarum doctrinarum laudem occupauit. Profetò magna hæc apud populum, quo se cunq; verterant, emicuit. Neq; ipse minori conatu & ambitione, perinde ac in certamen ingeniorum prouocatæ, suam gloriæ nomenque apud spectantes promouebant. *Leontium* supra conditionem naturæ quoq; virilis stylo audacior, librum in Theophrastum hominem eloquentissimum, qui nomen inde Diuini inuenerat, à se scriptum præferebat: *Corinna* victoriam palmamq; quinquies de Pindaro, nouem Lyricorum principe adepta, quem nemini imitabilem Horatius ipse creditit

*Vna Tho-
pbraſtū vicit.*

*Altera Pin-
darum.*

credidit ostendebat. Iam Aristippum filium, cui
cum lacte, excellentium literarum Philosophique
nomen, suis vberibus, doctore nullo, ipsa mater in-
fuderat *Arete*, ducebat. Hanc sequebatur *Dama*,
Pythagoræ filia, quâ nemo ad sublimitatem inge-
niuumque patris proprius ascendit: symbola inuolu-
craq; paternarum sententiarum, inter eundum ijs,
qui paternam doctrinam affectabant, referendo
explicandoque: *Ignem gladio ne foderent: Stateram ne*
transflirent: Cerebrum ne comedenterent: Cor quoq; ne ederent: Symbola Py-
thagora.
Supra sextarium ne federent: Maluam transferrent, sed eam,
ne comedenterent: Contra solem ne meierent: A via ne reuerte-
rentur: Viam regiam declinarent: Per semitas incederent:
Cum ledo surgerent, stragula complicarent, vestigiumq; corpo-
ris confunderent: Arctum annulum ne gestarent: Olla vesti-
gium turbarent in cinere: Hirundines intra domum ne ad-
mitterent: Speculum ne ad lucernam spectarent: Aduersus so-
lem ne loquerentur: Dextrum pedem priorem calcearent:
Sinistrum priorem lauarent: Unguum criniumq; suorum pra-
semina ne commingerent sed in ea despuerent: A saba, à pi-
scibus perinde abstinerent ut Iudei à porcis. aliaq; plura quæ
fronte velut ridicula, cæterum seria & à priscis in-
ter oracula recepta, nisi filiæ muliebriue intelle-
ctui patuêre.

Sed persequi singulas, si industriam suam colo-
fusoq; non ligassent, immensum esset, & que scilicet,
ac in ingenij virorum, disciplinarum artiumq; va-
rietatem. Strictim igitur, & quarum non abiit me-
moria, dicentur reliquæ, *Læshenia Mantinea. Axiothea*
Phliacia, ambæ cultu que virili, Platonis audi-

torium adeuntes, *Apsasia*, *Diotima*, *Thargelia*, *Hipparchia*, *Themistoclea* soror Pythagoræ, omnes philosophæ celebres. Iam poetriæ, ingenio, arte, iucunditate admirabiles: *Sappho* à quâ Sapphicū carmen profluxit: *Theano* vxor Pythagoræ: *Charixena*, *Mero*, *Boeo*, *Praxilla*, *Nossis*, *Erinna*, *Tellesita*, *Clitazora*, *Hedyle*, *Megalostrata*, *Damophila*, *Sulpicia* Galeni vxor, *Eudocia* Theodosij junioris Imperatoris vxor, *Proba Valeria*, *Argentaria Polla*, *Cornificia*, *Helpū* vxor Boethij hymnis in Apostolos compositis illustris, *Catharina Virgo*. Et ut in vario genere doctrinarum reliquas claudat narratio, *Cornelia* vxor Africani: Filiæ, vna Lælij, altera Hortensij, quæ acceptâ in successione hæreditatis eloquentiâ, superasse elegantiam paternam facundiam dicebantur: *Hypatia*, *Zenobia* historiæ Alexandrinæ & orientalis ita perita, ut eam sua scriptione contrahendam suscepit: *Amalasunta*, *Genoria*, *Angela Nagarola*.

*Procurantur prodigia: lustratur Vrbs Sapientie:
Senatusq; ad templum Honoris & Virtutis
à T. Livio indicitur.*

Hospitia sapientum. Finis post fæminas viæ venientiumque agminum fuit, sua se sponte postea singuli in loca hospitiaq; per Vrbem Sapientiæ diuisere. Quidam Vicum Pallorū, alij Sobrium, Castum, Salutarem, Minerua, Gratiarum, Quietū, alijque alium petiuere. Completum quantum inter Aream Boni euentus, Vicumque Spei maioris spatium fuit: plurimos quoq; ex tenuioribus

bus per hospitia, Campus cui *Ridiculi* appellatio est, habuit. Nec à dato semel honore à multitudine variatum est. Eodem quo antea consensu summa potestas penes Titum Liuium mansit. Is igitur primum omnium expianda prodigia, agendumque cum dijs, in quorum tutela ea loca populusq; esset, putauit. Itaq; religione iam antè multitudine contactā, cum de Taciti casu prodigijsque expiandis, quæ euenerant retulisset, rogationem eius secuta consentiens ex omni multitudine vox, rata quæ volebat fecit. Quapropter consultis aruspicibus, editum est, ut æditiū ædes sacras omnes, circumeundi placandiisque deos, aperirent. curaretur lectisterni- *Dee industria*
um Strenua, Stimula, Agenoria, per triduumq; habere-
tres.

Ab antiquorū
riū: sine labe
tamen & cō-
tagio probo-
rūm..

tur: atq; ad puluinaria earum supplicatum popu-
lus omnis sapientum iret. Amburbium post hæc celebratum. Eductus luce serenâ extra mænia o-
mnis populus est. hostiæ, Sus, Ovis, Taurus, ter
circa urbem pomeriaque actæ. cantatum à pueris
& puellis patrimis matrimisq; sequentibus carmen
est. spatium omne, omnisq; populus, è riuis, fonti-
bus, amnibusque haustâ aquâ lustratus est. Tandem
T. Liuius redditis super cespitem extis, manuque
aram contingens, præeunte verbis Catone, fau-
reque linguis populo iusso, ita precatus est. Apollo
pater, Musæ, Pallas, Minerua, dij Indigetes, dij quo-
rum est potestas nostrorum quorum nutu & impe-
rio nata auctaque est res nostra, vos precor quæ-

O Vere Ma-
gnejs Deus
presta id ipsa
mibi.

soq; vti sitis volentes, propitij, nobis, vrbi, domo, familiæq; nostræ, cuius rei ergo, agrum, terram, fundū, populumq; hunc, solitaurilia circumagī iusi-
si: vti hostes visos inuisosque, viduertatem valitudinemque literarum prohibessitis, linguas, cala-
mos, intemperantiasq; malorum, à bonis, à doctis,
defendatis auerruncetisque: vtiq; ingenia seruassi-
tis, conatus, labores bonos grandire, beneq; eue-
nire curassitis: duitisq; bonis, bonam saluteim, bonā
famam, bonam quietem: vtiq; æternitatem, memo-
riamq; illorum, ipsamq; quā rapiuntur, æratem pro-
pagassitis. Quarum rerum ergo macti hisce suoue-
taurilibus suntote. Peractis quæ ad placandos deos
pertinebāt, ad rem publicam negotiaq;,& quicquid
à literatis referendum, aut inter ipsos arbitrandum
dijudicandum esse fuit, cura versa est. Senatus in se-
quentes dies ad templum Virtutis & Honoris indi-
ctus est. Sed quia templum ipsa Vrbe nobilissimus,
in-
clytumq; inter accolas diuinitatis & sanctitate fuit,
quād ad alia promoueatur narratio, non inane & ci-
tra operæ pretium censuerim, ut illustriora noscan-
tur, de eo nonnulla præmittere.

Templi Virtutis & Honoris descriptio.

Vastā id mole medio Vrbis se attollit, adeo spe-
ctandā altitudine, vt quantumcunq; à se receden-
tium occupet oculos. Fanum primo modicum soli
Virtuti sacrum à Scipione Numantino fuit. Mox
Marcellus Castidio & Syracusis captis, duo numina
templo

*Qui primi
Virtuti tem-
pla construxer-
runt.*

templo amplexus, Virtuti & Honori, ex manubijs hostilibus, magnificum opus ijsdem in vestigijs extruxit. Monuere aruspices, ad notitiam vtri deorum homines sacrificium remq; diuinam facerent, vti ædibus separarentur. Factum, intus discretis sacrarijs, extra vnâ apparente mole, introitu quoq; ad Honorem, nisi quem per suum templum Virtus transmisisset, negato. Nimirūm recte concepto, ibidem esse debere præmia honoris, vbi fuissent merita virtutis.

*Id factum fu-
it Marcello.*

*Virtus sociæ
honoris.*

Templi Virtutis separata descriptio.

Vnde ad Virtutem ingressus est, Bulla aurea figuram cordis referens, à capite ianuæ catenulâ aureâ suspensa pendet. Notam esse aiunt magni animi, ne quis ad Virtutem accedens desperet quippiam assequi ante experimentum: sciatq; nihil difficile, nihil imperium illi esse, qui corde præstaret. Quod ipsum imitati aliqui, Cor, puerorum ingenuorum pectoribus, vt suum ad alta & ardua cum indole erigerent euibrarentque, simili gestamine annegebant. In bulla inclusa in inuidiam remedia erant, nulla virtuti infestiore peste, & quæ procellæ more, in ipsâ potissimum sereni fiduciâ emergere, eamq; ex occulto allidere solet. Hinc metus ab ea nullibi, quam in prospera fortuna maior. Victores Romani simili bullâ clausa amuleta, ne quis inuidientiae radius præclarè gesta attingeret corrumperetque, gestabant: triumphansq; apud eos imperator, &

*Ad virtutem
opus corde &
animo.*

Romani.

*Virtutis co-
mes inuidia.*

plausu populi gaudens, in ipsa gloria medicinam sibi in eam circumferebat. Aperiunt custodiuntq; Virtutis fores, tres speciosissimæ puellæ, quæ comiter aduenientium quenq; salutantes inuitantesq; in interiora ædium deducunt. Fausta his cōgruaq; formæ nomina, *Honestas*, *Utilitas*, *Incunditas*. Intus in sublimiara Dea est, specie quam dici potest venerabili. Sparsa circa eam aliarum dearum signa simulacraq;, ac velut familiæ ipsius ingens populus. Suum itidem his numen, sua veneratio. Quatuor

*Atrienses &
Ostiarie Vir-
tutus tres.*

*Virtutum ge-
nera.*

Species.

*Vbi una vir-
tus illuc omnes
sunt.*

*Prudentia re-
atrix & ma-
terfamilias
virtutum.*

*Virtus in me-
diocritate.*

velut principes ducesque reliquarum sunt, *Iustitia*, *Temperantia*, *Fortitudo*, *Prudentia*. Ut hæ se inuicem separauère, ita cuique velut ad obsequium suum agmen adest assistitque. *Iustitiae*, *Innocentia*, *Amicitia*, *Concordia*, *Pietas*, *Religio*, *Obedientia*, *Misericordia*, *Humanitas*. *Temperantiae*, *Modestia*, *Verecundia*, *Absi-
nentia*, *Castitas*, *Moderatio*, *Frugalitas*, *Sobrietas*, *Pudicitia*. *Fortitudini*, *Magnanimitas*, *Fiducia*, *Securitas*, *Magnifi-
centia*, *Constantia*, *Tolerantia*, *Firmitas*. *Prudentiae*, *Ratio*, *Intelligentia*, *Circumspectio*. *Prowidentia*, *Docilitas*, *Cautio*.

Nulla ex his non in aliquo opere officioq; spectatur. Singulas continua, annulis per interualla se excipientibus, catena circumvit. Hanc Prudentia manibus suis emittit, auroque & gemmis variata mafabré, nunc huius nunc illius pretij ponderisq; metallo distinguit. Virtus ex medio duos à lateribus suis stantes, discordes affectus despicit, dextrâ Excessum, sinistrâ Defectum: ita felici artifice multiplicata

plicatā expressāq; in vultu eius diuersitate, vt contrarietatem etiam spectantes sentire videantur, intelligentq; ex oculis animum, pro omni sermone. Eodem contuitu ad vnius dissidentiā languoremq; pleno, hilari, blandiente, confirmante, & velut lenissimo nutu inflexā ceruice, ad se vocante: eodem ad alterius peruicaciam contumaciamq; auerso, renuenti, & ni pareat, minaci, aspero, toruo.

Nec minor in quacunq; alia parte admiratio est. Visuntur in eodem delubro Musæ, eo artificio factæ, vt vicissim maiorem, quam acceperint claritudinem, suis referant artificibus. Neq; tota, in argutis vultus; venustate oris, elegantiā capillorum, sed in operibus quoq; redditis laus est: multum gloriarum decessurum credentibus autoribus, ni etiam singulis suas artes inuentaque addidissent. Ergo suum quæq; fatetur inuentum, *Calliope* poësim: *Clio* historiam: plantationē *Thalia*: *Euterpe* tibias: *Melpomene* cantum: *Terpsichore* choream: nuptialia & saltationem *Erato*: agricolationē *Polymnia*: astrologiā *Vrania*. Has implexis mutuo manibus, initoque cum Gratiis choro, obit alter virginum manipulus, *Pax*, *Salus*, *Libertas*, comesq; harum perpetua *rерum Copia*.

Neq; alia quoque miracula transire conueniat. Vtrinq; versis ad se foribus, in modum sacrariorū, structæ adhærent templo bibliothecæ. Nobilissimæ, & quas referre nō pigeat, duę sunt. Una *Ægyptia*, pulcherrimum Ptolomæi Philadelphi regis opulentiae

*Musarum illa-
uenta.*

*Ex studiis
fructus.*

*Bibliotheca
Ptolomai* 6.

*Constantino-
politana.*

*Varro lib. 3.
de Re rustica.*

*Ecclesiast.
Cap. 1. due
sententie.
Teren. in Eu-
nucbo.*

lentiæ monumentum, continens voluminū septingenta millia. Altera *Constantinopolitana*, centum vigineti millibus autorum, sed præcipue Homeri *Iliade* & *Odissea* inlyta, quæ aureis literis in intestino draconis descripta, subtilitate operis, supra tot librorum pretium industrius deduxit artifex. Non cedit his suâ gloriâ pictura, quæ dubium artificio an pulchritudine spectabilior, interiora templi circumdeundo, coloribus suis parietes inuestit. Expressa per eam bella, victoriæ, vrbum expugnationes, capti fusique reges, audacter cruorem suum, sua viscera per vulnera exeuntia spectantes milites; adhæc tristi aspectu, in carceribus, tormentis, paupertate, ignominia, quæq; innumera sors calamitatum in virtutem habet experimenta, exultantes imagines. Aliæ singulare & diuino ingenio viros referentes effigies sunt, quorumcunq; opera disciplinæ inuentæ, & scientiæ velut à primis parentibus procreatæ fuerunt. Fama tenet, nullam ex ijs, intra mille annos non repartam itaque excultam fuisse, ut quæcunq; postea esset, aliquem ex priscis autorem ac velut suum magistrum non agnosceret. Fatentur hoc ad imam picturæ partem aliquibus appositiæ subscriptiones. *Nihil est sub sole nouum: Quicquid est precessit in seculis. Nihil dicitur quod non sit dictum prius.* Pari honore excipit pictura merita eorum, qui suâ curâ diligentiaq; quæ nesciebantur, hominibus aperuere monstrauereque. Extat inter cæteras Chri-

Stopori

stophori Columbi, qua Nouum Orbē petit, qui nisi nostris patebat fabulis, nauigatio. Picta illic quæ pingi non possunt, tonitrua, fulgetra, fulgūra, iratum versumq; ab imo mare, venti incurvū vario, nunc nauigium circūm voluentes versantesq;; nunc correptum in altum secum ferentes, sorbentesque in excelsum, nunc pulsatas ex profundo belluas cum fluctibus voluentes. Inuitam hoc iter diligen-
tiamq; tulisse naturam, in confessō est tam atrox comminatio, abdita per tot secula subtractaque à nobis toto oceano terra: oppositum cum periculis suoq; profundo mare, in quo vix aliquæ siderent anchoræ, immissa in corpus pendentis pergentisq; per aquas ad quemcunq; timorem parte iam mortis, quam nulla sequeretur sepultura. Adeo nulla cura & curiositas, quæ malorum occasio hominibus esset, naturæ placuit: abunde suppetente in veteri Orbe deliciarum & discordiarum materiâ, nedum ut illa ex nouo, quâ vetus collideretur, adducere-
tur. Ergo eius in nauigando, cui totum hoc non sati patuit, pro miraculo habetur auditas, quæren-
diq;, quod natura scire tamdiu non permisit, teme-
ritas. In nauigationis huius emolumentis in primis censebatur monstratum *Aurum*, quod cum nullo an-
no tot nauibus vectum, naufragiorum, bellorum, piratarum auditi direptionique explendæ des-
ciat, creditur ab aliis aureum. illic solum esse. Iam ex eodem Orbe, alterius generis quam ante fuere
*Que ex No-
uo Orbe ad
nos apporta-
tæ.*

aduecti Galli, Mures, Ficus, Nuces, Canne, Bombicam,
quoq; & vermiculorum texentium serica, monstra-
tus prouentus, postquam ab eo tempore certarum
arborum folijs nutrire animareq; animalia, simulq;
quibus in sua fila inuolui claudiique velut nuce mos
erat, euoluere retexereq; in sericorum fila didici-
mus. Non exiguâ sane gloriâ apportatæ artis, vt
plebes quoq; & vulgus opificum sericati holoseri-
catique translucerent, variarentque luxum vestibus

Genera sericorum.

An erat &
quanto pretio
apud antiquos
sericum.

Opiscus in
Aureliano.

Dedicamen-
t ex Nouo
Orbe appor-
tu.

Vndulatis, Rasis, Semirasis, Ormesinis, Damascenüs. Nam
similis opificij ac serici ignorantiam, fatentur ve-
staria veterum huiusmodi vestibus carentia: & im-
mensa pretia, serici librâ auri tunc librâ veniente:
imperatoribus quoq; vxorum suarum cultui sericū
negantibus. Quam ob rem ab Aureliano impera-
tore, vxorem vnicum pallium batteum sericum pe-
tentem, his verbis, dimissam ferunt. Non conue-
nire vt auro fila pensentur. Nec minori in admira-
tione ex eodem Orbe allatæ habebantur imagines,
ex plumis avium ita varietate dispositâ contextæ, vt
inducti colores penicillis melius reddere effigies
non possint; eædem ad claritatem solis positæ ita
radiantes, vt varias in partes inclinatæ, in varios
nouosq; colores transire lucemq; suam iaculari vi-
deantur. Adhæc lignorum & plantarum multa-
rum nouitas, vt Guaiaci, China, Sarsa-parilla, Sassafras,
quorum utilitas inter laudatissima sanitatis huma-
næ bona recepta, sancta quoq; appellata est. Ma-

gno

gno certe ac sanguino in tantis muneribus supplicio, ad-
uetto quoq; ex eodem Orbe peregrino morbo, cu-
ius saevitiam societas etiam contatusq; innocentu-
traheret. Tanto nobis curiositas constitit, bonaq;
etiam quæsiuisse pena fuit. Morbus hic quamvis
Indicus sit, apud varias gentes varia nomina obtinu-
it. Galli *Neapolitanum*, vbi se primum eo infectos
sensere, dixerunt. Itali à Gallis in quibus se illum
conspexisse meminerunt *Gallicum*: Germani ab Hi-
spanis, qui ex India hanc quoq; pretiosam mercem
aduexerunt, *Hippanicum* nominauerunt. Hæc est in-
uenti Orbis utilitas, hic nauigationis exitus, cui
narrando insistendum paulum fuit, nihil magis
hominibus admirantibus quam malis partam lu-
xuriam.

Innumerabilia sunt præterea inuenta, quæ tem-
plum in se habet ostentatque. Siquidem quicquid
in tanto mortalium numero humani ingenij vis,
quicquid labor curaque peperit, nihil non illuc af-
fertur, consecratumque Virtuti donarium, visen-
dum posteritati relinquitur. Igitur vniuerscuisq;
illlic manet inuentum, signatum pro ingenij excel-
lentiâ, tabulâ, lapide, ære, argento, auro, aliaue
materiâ: appositi insuper tituli, qui nomen dicunt
alij inuentoris, alij artificis, alij gentium, alij homi-
nis. Sic fatetur *gladius*, *galea*, *basta* Lacædemonios:
clypeus Prætum: securis Penthesileam Amazonum re-
ginam: *arcus* & *sagittæ* Scythen Louis filium: *balista*

Morbus quo-
que Gallicus,
& que eius
appellationes.

Varia var-
rum inuen-

& funda Phœnices: Thessalos pugna ex equis, Pænos pugna naualis: Æginetas nummus: Anacharsin philosophum anchora, bidens, figuli rota: Dædalum ascia, perpendicularum, malusq; nauis: Icarum vela: tubæ Pyrsæum & Pyrrhæum: putei Danaum: inducia Lycaonē: sepultura Lycurgum: speculum Æsculapium: cibara Apollinem. Nec modus exemplorum. Alia serò, alia recens inuenta: quædam quæ sola posteritas, quædam

*Inuenta ve-
terū que iam
perierunt.*

quæ sola cognouit antiquitas. Duo ex vetustis, quæ reliqua illic excessere inuentionum miracula, silentio minimè inuoluere conuenit. Ardet ad aram

Dæx suspensa lampas multis millibus annorum, nemine alimentum monstrante, immortali diebus no-

*Oleum incom-
busibile.*

ctibusque flammâ. Perfert incendium, oleum, incredibile dictu, semel affusum, atq; ita temperatū,

ut se ipsum velut perpetuo pariat, voracitatemque

ignis sine sui damno pascat. Repertam narrabant tempore Pauli Tertiij Maximi Pontificis in sepul-

chro Tulliæ filiæ Ciceronis eiusmodi lucernam,

quæ admisso nouo aëre extincta, arserat antea mille

quingentis quinquaginta annis, cadauerq; in quod totidem anni nil eualuisserent, tridui postea mora cō-

putruit, medicamine amoto vitiatoque. Alterum

quod in eodem miraculo mirum est, lampas ipsa.

*quod ardebat
annis 1550.*

*Vitrum du-
tile.*

Vitreæ hæc est, è vitro flexibili ab eodem artifice

facta, qui Tiberium inuentione sua placans, pocu-

lum in conspectu eius allisit, statimq; acceptis in

manus fragmentis, quæq; abrupta sibi met erant, in

integrum

integrum agglutinavit, illæsumque rursus & infra-
etum mensæ imposuit. Neq; his inferiora, ignorata ab antiquis, à recentiore ætate inuenta monstrabantur. In Alchimia vtcunq; licet à faciendo auro homines exciderunt, inuenta tamen, dum vnicè aurum quærunt, ratio Gemmas emaculandi: Sapphirum dealbandi, vt Adamas videatur: *Stannum* in aliud metallum vertendi vt argenti similitudine viuat micetque: Aquis metalla inuicem separandi distinguendiq;: *Distillatione* ex quacunq; stirpe substantiam educendi, sublatamq; in aërem, vt aquæ vel olei corpus capiat, condensandi: pluraq; prorsus auro non inferiora. Iam *Horologia*, *Bombardæ*, *Type-*
graphia, *Charta*, *Pixis nautica*, *Ignis Grecus*, adeo pertinax & inuictus, vt nec aquis mersus sepultusq; emoriatur. Hoc defendit muros suos aduersus Sarace-
nos Constantinus Pagonatus, flagrabantq; hostium naues ab igne in profundo, maiore miraculo quam Romanorum extra aquas à speculo Archimedis. Histalibusq; opere aliquo expressis signatisq;, passim completum est spatium interioraque templi, hæc sustinent parietes, concamerationes, antea, parastatæ, interpensiua, columnæ, epistylia laxissimæ ædis, disposita ea pulchritudine & varietate, vt quocunq; inciderint oculi, reficiantur. Iam tholus ymboq; in modum alterius templi, proprijs quoq; miraculis spectabilis est. Ab hemisphærio summaq; illius testudine, pendet ad dextrum

*Inuenta recentiorum.**Chimistarum**Inuenta nouæ
quibus anti-
qui carebant.**Hic ignis in-
uentus anno
670.*

*Alexander
Magnus pila
argentea so-
mnum excu-
tere solebat.*

Alexandri Magni *Pila argentea*, quam cum se quieti somnoque traderet, protento extra cubile brachio, suppositâque conchâ æreâ, tenere consueuerat: ut quoties neruorum rigorem sopor infusus laxasset, gestaminis lapsi tinnitus dormientem suscitaret, longamq; interrumperet quietem. Ad sinistrum

*Columba li-
gnea qua vo-
labat.*

Columba lignea Architæ Tarentini est, mathematicâ ratione ita aptata librataq;, ut surrigi in volatum, eiaculari sese in sublime, ac meare sulcareque per

*Celum æcum
Archimedis
circumactioni
bus suis simi-
le vero cælo.*

Cælum variè possit. Inter hæc duo, *Cælum medium* ab Archigene appensum est, res supra omnem miraculorum admirationem maxime mira, & operæ Dei tantum similis, ijsdem, quibus hoc quod cernimus, officijs, ijsdem legibus, ex ære fabrefactum. Totidem in eo sidera, fixa, errantia, per totidem vias cursusque euntia, in eadē interualla, in eandem mensuram cadentia. Sol perinde obseruabilem annum faciens circumactu suo: Luna pro vario cum Sole coitu occurzionibusque, modo curuata in cornua, modo æquâ portione diuisa, modo sinuata in orbem, plena, deficiens, repente nulla, breuiterq; tam multa in tam paruo æreoq; conclusa globo, quæ in tantum excedentis magnitudinis cælo vix concludere potuit natura.

Templi Honoris descriptio.

Tandem his satiatos spectaculis, excipit Templum Honoris, ita priori connexum adhærensque, ut sæpe dediti alterius miraculis in illud cum se intrare non

non poterit, sentiant intrasse. Priscum pariter, pariter religiosum, magnificumque. Prodit magnificentiam eius ostium amplissimum ornatissimumque.

Quocunq; magnificæ ianuæ carere non debent, antepagmenta, cumaria, coronæ, supercilia, margines, astragali, omnia hæc adornata vestitaq; sunt magnorum virorum insignibus, imaginibus, lpolijs ab hoste raptis, quorum nihil attractare refigereq;

*Sic solebant
postes & ia-
nue exornari
veterum de-
quo Plinius
lib.35. Cap.2.*

à postibus fas est, aut quantum ab his ianuæ patet aureâ fulget cælaturâ opereque mirabili. Cœnea templi non ingens, minorque quam Virtutis est; sed debet artifici, quod perfusa gratissimo lumine purissimum diem recipit, totoque die velut solem seruet, refulget. Fenestræ ad hoc nullæ sunt, hemisphærium tantum in medio large cauatum circinatumq;, ex summo quocunq; inclinato soli occurrit. Subest lithostratum vermiculatis marmoribus distinctum. in medio procera vetusque palma tanquam sub aperto sibi cælo virens. Palmæ truncum ramosq; hedera pererrat, lubricoq; ac flexuoso per eam reptatu nititur serpitq; in altum. Vtramque aliquot arbores in orbem stantes circumueniunt, suamq; ex eodem cælo accipiunt vitam, olea, laurus, myrthus, quercus, cedrusq;. Velut ad pedes istorum gramen sua viriditate surgit fruticatque. Carpere inde frondes coronis præcipue texendis olim mos erat. Hæc materia acceptissima, hoc pro virtute præmium gratissimum habebatur. Nec pro-

*Arbores ex
quibus veter-
res coronæ
texere solebæt
ad virtutem
honorandam.*

miscaus.

*Olea premi-
um victorum.* miscuus eiusq; erat vsus. *Olearia* in certamina Olympica, atq; ijs qui in fugam cōuerterant hostem, deferebant: quod eorum virtute, ferocia mitigata velut ab oleæ succo perfusum ferrum bellorum instrumentum, domatur mollescitque: quod etiam ab

Pacis signum. aqua riget magis magisque durescit. Igitur oleæ quoq; ramum prætendi, pacis erat, & minime fero-

*Laurus trium-
phantium pre-
mium.* cientis animi indicium. Ex *lauro* triumphantes corronabantur, velut aduersus pericula interriti inuiteque, quod ea arbor contemptrix quoq; esset me-

*Contemptrix
fulminum.* tutus & fulminum. In exemplis est, Tiberium tonante cælo, ex eius ramis coronam gestare solitū, quod,

*Myrthus o-
uantium pre-
mium.* ut dictum, sola fulmine non icitur. *Myrtum* ad minores triumphos, ouantiumque honores usurpabant; ceu facilem, & sine sanguine partam victoriā, propera arbor nasci, & in trimatu frugifera, sat

*Hedera poe-
tarum pre-
mium.* tis adornaret. Poëtae ex *hedera* coronis vtebantur, humili planta, & fortunæ suæ aliam arborem quam amplecteretur, quærente. Nam & illi fautoribus

patronisque, in quos recumbant, indigent: qui si contingent, ingenio eunt in altum, ramosq; suæ industriæ ab illo nexus felicissime imitati hederas

*Quercus ser-
uatoris ciuis
premium.* expedient. In *quercæ* corona, quanquam nitor & venustas aberat, salus tamen seruati ciuis & beneficium in illa delectabat: clarâ professione, seruato-rem alterum velut altorem & parentem esse. Nam antequam vomeribus inuersa, rastrisque & aratro perrupta tellus fecunditati assuefisset, de grande

in

in exordio rerum baccisque habuisse dicitur homo alimoniam. Sic prisci homines virtutem pretio non coluere: tantoq; humilius ac vilius præmium, quanto sublimius maiusque erat meritum, propisuere: contenti cui par inueniri non potest, consentiente laude bonorum, voceq; incorrupta recte iudicantium de excellente virtute. Nam quanto vnum ciuis & sæpe humillimus seruatus, yniuerso exercitui, pluribusque nobilissimis ab obsidione abominandoque exitio liberatis præstabat? hoc tamen præclarissimum facinus in meritis suis, rem vilissimam viride *gramen* decerptum, ibi ybi obfessos seruasset aliquis, habuit. Quippe summa hæc in illa coronâ gloria fuit, terram à se seruatis, quæ herbam gramenq; proxime confoueret, atq; altricem ipsam humum, & humationem tot hominibus datum profiteri. Quamobrem manet adhuc arboribus honos, veteremque in templo satæ gloriam relinquunt. Nam cedrum palmamq; æternitas illuc intulit. Nullæ his arboribus vetustatem minus timent. Succo *cedrino* perungi libros, ne tinea cariesue rodat mos est: quo medicamine defossos in terra cum Numma Pompilio libros, durasse aiunt annos quingento triginta quinque. Arbor ipsa in aquis firmissima, & quæ nec madefacta corrumpi potest: ex cuius ligno constructam arcam Noë seruasse humanum genus omissendum non est. *Palma* *Palma victorum premiū.*

Gramen seruatoris exercitus præmiū.

Hinc: Cedro digna locutus.

Ex cedro arca Noë.

cunq; pondus adeo contumax, vt onere pressa non modo nō curuetur, sed magis aduersa resurgat, sursumque contra pondus nitatur. Ob id ad victoriæ symbola usurpari sueta: quæ vrgentibus prementibusque malis, prius etiam vitâ, quam animo cedere mauult. Itaq; summum inter arbores in templo honorem obtinet. Coma frondesque eius, pretiosis ornamentis ac donarijs ab ipsa Dea reuinctæ, insolito pondere fructibusq; nutant. Induuias magna vis gemmarum conuestit, inter has corallorum rami, velut in sanguinē concretæ guttæ, atq; ab inflictâ arbore plaga manantes erumpunt. Ex ipsis frondibus pendent, alibi fasces cum securibus, alibi sceptra, diademata, illuminatæ margaritis coronæ, sellæ eburneæ, curules, trabeæ, palmatæ, togæ, purpuræ, phaleræ, prætextæ, paludamenta, intextæ auro chlamydes, lati-claui, calcei lunati: alibitorques, annuli, enses, litui, auro cælata calcaria, cruces, aurea vellera, balthei cingulique militares: alibi mitellæ margaritis baccisq; vncia-libus internitentes, claræ vnionib; infulæ, vittatæque atq; illustres pretioso lapillorum ambitu tiaræ. Non secus ibi, quâm cursum & certamen inter se ludentium videas. Prout auræ è summo spiraueré, modo speciem iam iam cadentium ramorum, & suo pondere se ad terram trahentium: modo post ruinæ irritas minas, sublati repente ramis in altum remeantium, reciprocoque cursu velut à rapina captatores

Honorum insignia è ramis pendula.

ptatores eludentium speciem referunt. Cessat statim lasciuia fure viso, agnoscuntque venientem in quantocunq; agmine. Parent soli suæ Deæ, ac prout illa, hæc aliae insignia alicui annuerit, ita inclinati sua sponte venientibus porrigunt. Ideo circa Deæ signum, quod ad aram colitur, magna vis munerum pendet, ex auro, argento, exsonantium supplicum votis. Sed fama est Deam inexorabilem esse, nisi ijs quos Virtus commendauisset.

Astant Honori alia duo nomina *Reuerentia* & *M aestas*. *Sacrificia Ho-*
noris *iebant a-*
perto capite.

Candelabrum, dicatum aliquando in *Candelabrum*
Dionysij ty-
ranni.

Fortune simu-
lacrum.

Eius frans.

Augest venerationem ingens *Candelabrum*, dicatum aliquando in prytaneo Tarentino à Dionysio iuniore Siciliæ tyranno, eòq; translatum, in quo totidem succenduntur lychni, quot in anno numerantur dies. Præsto est *Fortuna* aureum signum, quale comitari principes, & in cubiculis Imperatorum Romanorum ponni solebat. Impediti huic vittâ oculi, ipsa volubili globo imposta, pedem vnum velut auolatum sustollit, alterum suspensum neq; probe repositum, in eodem globo sustinet. Dextrâ audiissime munera, quibus inuicem supplices pro honoribus certant, accipit: sinistrâ è succincta veste insignia deprendens, furtiuâ largitione indignis distribuit proditque. Hinc in eam Numinum indignatio: & hominum quoq; ex frustratione, vel obtentu, varia affectio. Inuocatur, accusatur, exoptatur, cogitatur, *Cultus.*

arguitur, laudatur, agitur rea, solaque inter Numina nescias plura referat probra vel sacra. Quod postea reputationem subit, multitudo statuarum est adeo per templum diffusa sparsaque, ut astante lapideus populus videatur. Magnus is honor, is virtutis cultus est, non merita modo memoriamq; clarorum virorum basibus earum inscribere, sed effigies quoq; vultusq; , & lineamenta corporis, artificum expressa manu, visenda posteris relinquere. Igitur, & quae lapidibus commode reddi non poterant, excipit pictura, humanissimam pariter ambitione, alibi funerum, alibi triumphorum pompam referens, certantibus cum vero imaginibus.

*Exequiae et
honor cada-
uerum apud
antiquos.* Sunt in sinistro templi pariete, depictæ veterum exequiæ, ita repræsentato omni pietatis mæstiteq; officio, ut sermo tantum querelæq; ab imaginibus expectari videantur. Hic corpora purgantur lymphis, oleoq; vñcta pretiosis vestibus induuntur. Illic præaltæ cupressus defuncti armis telisque instar trophæorum exornatae eriguntur. Circum ingentes pyræ, aggestâ pinu roboreque construuntur. Alibi cadauera toris imposita ad ignem deferuntur. Comitantur detonsi pullatiique propinqui, versas ad terram faces portantes: hic alia turba mærentium, hic maiores defuncti apertis armarijs atrijsque in exequias emissi. Iam præficæ, tubicines, præcones populum velut citantes in lamenta. Tuin quâ digesta per strues cadauera visuntur, alij opertis

opertis auersisque vultibus ignes subijciunt, alij
vbi cadauera flamma corripuit, fauillamque nubi-
bus immiscuit, seruos, equos, canesque: alij vtvxo-
res, intimiq; amicorum vltro scandentes rogos, se
in flagrantes complexus ipsasq; dant inferias. Vi- *Euripidis bo-*
suntur ab Archelao, Euripidi Tragico consiliorum
suorum socio, sumptuosissimæ factæ exequiæ, cu-
ius etiam suprema non contentus prosequi sumptu
funeris, crinem quoq; tonsus est, & mærorem,
quem animo conceperat, vultu publicauit.

Similis in aduerso pariete est, lætitiae honorisque *Triumphi Ro-*
in triumpho absolutio. Eriguntur alibi ingentes *manorum*.
arcus, gloriosissimis illustrati victoriarum titulis.
Alibi trahuntur currus, hîc spolijs telisque hostium,
illuc ligneis trabibus, captarumque urbium simula-
cris onusti. Fertur deinde captiuum aurum, ar-
gentum, coronæq; & præmia, si quæ victori socij po-
puli hostesue ipsi dedissent. Sequuntur albæ victi-
mæ bouesque. Post elephanti, tygrides, alces a-
liæque feræ antea non visæ. Tum Duces hostium
captiuique, religatis post tergum manibus mæren-
tes. Dehinc sublimis in curru aurato sedens trium-
phator, sceptrum manu alterâ, alterâ lauream & ex-
ea coronam in capite ferens. Iam vexilla collegio-
rum atq; castrorum, & circumfusi currui milites,
omnisq; victoris laureatus exercitus. Excepti præ- *Triumphi He-*
terea sunt, & aliquarum gentium per parietem tri- *braorum.*
umphi, non tam superuacanea priuati alicuius ho-

minis pompā, quam gratitudine erga Deum magnifici. Laudatissimi sunt Hebræorū, apud quos pueri, senes, viri, fæminæ, principes, vulgusq; populi obuiā victori progressi, ad tympanorū, musicorumq; instrumentorū sonum, orbes, choreas mouentes, cātando, beneficiū se alteri victori, quam quem præ oculis haberent, debere profitentur. Inserti non nullis picturis versus quos cātare mos erat, legūtur.

Exod. Cap.

15.

Sic cum Agyptiorum iugum exuissent, Moysenq; triumphando comitarentur: *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus es: equum & ascensorem proieci in mare.* *Quia fortitudo mea & laus mea Dominus: & factus est mihi in salutem &c.* Et immensis agminibus Iudithæ cum triumpho occurrendo, cum in manibus eius opimum ferri spolium caput Holophernis, summamq; in eo victoriae contemplarentur, gratularenturque.

Iuditb. Cap. Incipite Domino in tympanis, cantate Domino in cymbalis, modulamini illi psalmum nouum, exultate & innocate nomen eius.

16.

Exigunt quoq; oculos & alij, qui plene non poterant, compendio aliquo repræsentati illustrium virorum honores. Stesichoro poëtæ, ædificatum à Phalaride tyranno templum, decretique quamuis inimico, diuini cultus. Iam Mausolea, sepulcra, monumentaque, nomina cuiusque sustinentia loquentiaq;. Inter quæ tymbus Ouidij, per multas lacrymas illi ante domus ianuam à Barbaris construētus: ut post septem apud se in exilio consumptos annos, hoc saltē solatij Kalendis Ianuarijs decedens referret, præstari suam literis vbiq; vene-

*Eadem die
ferunt dece-
ssē T. Lisiū.*

rationem,

rationem, placuisseq; aliquid in se barbaris, quod
ingrati ciues non agnouissent.

His tam magnificis summorum virorum honoribus, miscentur & alij. Descripta in eodem templo cuiusq; priuilegia, prærogatiæ, principiū indulta, hominum consensu impositæ *Appellationes*, *Magnorum*, *Feliciū*, *Augustorū*, *Optimorū*, *Maximorū*: deficientibusq; iustis pro virtute titulis, & *Parenū patriæ* cognomina excogitata. Iam sua cuiusq; præmia & eorum *Appellationes*, Medicorum *Soteria* vel *Iatreia*: Docentium *Didascalia*, & *Didactra*, *Minerualia*: Militum *Arimorum*, *Artemis*, *Epinicia*, *Niceteria*: Nuntiorum, *Euangelia*, *Ministra*: Legatorum *Lauitia*: Hospitum *Xenia*: Beneficorum, *Charisteria*: Altorum, *Threptira*: Artificum, *Epichera*: Quippiam afferentium, *Comistra*: Iam ex humili priuataq; fortuna suâ aut maiorum virtute exempti, & per suos gradus digesti, *Pontifices*, *Patriarchæ*, *Archiepiscopi*, *Episcopi*, *Abbates*, *Præpositi*, *Protontarij*, *Archipresbyteri*, *Archidiaconi*, *Presbyteri*, *Diaconi*, *Canonici*, *Clerici*, *Sacerdotes*, *militiae*, & *religiosorum familiæ*. Tum *Imperatores*, *Reges*, *Archiduchi*: *Duces*, *Principes*, *Marchiones*, *Comites*, *Barones*, *Nobiles*. Et peculiaribus officijs alijs præminentibus *Cancellarij*, *Praesides*, *Consiliarij*, *Secretarij*, *Prætores*, *Assessores*, *Advocati*, *Scribe*. Sed recensere singula quis possit? Verbo clando. hæc

Sapientum Curia fuit, hoc Comitium,
hic locus habendi senatus.

Sed nos tantisper inhibitâ continuatione, narrationem sequentium
alteri libello referemus.

Sumptu & impensis Bartholo-
mæi Nouodworscii.

...nemba Charonem habet. Et male res ymbera. Tymbera et Musica dephantum fuit
hie etiam vero posuerit deo. Supponit orbis.
Sedat ille Mars illi totus vobosa in lingua. Maroniq[ue] Moxa Lyham? Oratio
Proclusa Sebasteo reoera lingua. Nam de me fida Margites. Homen est he
Hunc regne p[ro]fessoris h[ab]ent namis adiu' Ep[iscop]us iuris iusta in villa matre rebus aut eq
us. Sub ipso magna nom de socij. Bonorum istarum in datus est.
T. L. supponit oratio. Malum luna ex equale descendio.
Hilus ad loco alio se albo ovo. Non possit. Then dem stonu es Galatocas amare si
Ciby Leina rotu. In occupatio buntos gelit. Cibz do racy Quid ad Memurum. Nihil
Pectori spay patu. Benamellor pertransiret inspirat.
Ma m thore Pauli Diodore mariorum homo. Tostat sako palec. Nudior pro
Ziedregi mudig duro rotu. E dubius max videt. Surue pravo zalem tix
Mornittemon Lacionym amat.
E kry wegs midno drenco co elbregi. Vryxu al grumto. Handvqua d'etatu
Dan nie. T. T. q[ui] d[icit] g[ra]m[mar]ia d[icit] a. Canis in p[ro]tepo.
In p[ro]sepe canis feno nec refutur ipso. Nonas das ut farnam qui caput edat eq
Uoyore v[er]sumic. Pynki & lyres idios sed. b[ea]t[us].
Tymber usq[ue] w[er]eau. Hand p[ro]st quere n[on] i[n] litteris viuat.
Videt[ur] Zanuie n[on] te. Daulini ubi f[ac]t[ur] l[oc]a[rum] hostes e[st].
D[icit] Ioseph. Ton[us] leat[er]en T. v[er]at. Desist in fano fano caprino mariono.
Dousato god[er] Tizerae. Droual abito ad alium fotonu exufio.
Dousatu co zdomach. In aucto tropis educatus.
Nren cas plu j[ur] mney goodm. Sano p[ro] formu fedibus. cum monime velles
Ochomq[ue] r[ati]o sive dobre. No tunis q[ui] do vobij. Fia sed fegrous coas et f[er]iat
t[er]nis in obsequio m domini agit imperio.
Co omne eos reatu et i[n] suonem. Mithenor alienus f[er]iat non debet effre
Nreys. Abi unq[ue] o[r]chaz. q[ui] d[icit] d[omi]ni m[ar]ia. Emp[er]io quis v[er]bi[m] m[ar]ian. Vt[er]a
V[er]o et in potu[m] a[ct]ylo. Vulcus mulos v[er]o suo ardore o[mni]me aendriu' ad u[er]o
Risti go z[er]b[er]o. Et k[on]trarie. In ima v[er]sa feno d[icit] d[omi]ni
M[ar]ia la B[ea]t[us]a. Gloria cuius canticis turano. f[er]iat eos a q[ui]b[us] f[er]iat
Et burzeno de Pompeie d[omi]no. f[er]iat Et p[ro]p[ter]a t[er]ra[rum] P[er]pet[er]a. Quales Orator
Nebrian k[on]k[re]t[us] q[ui]b[us] q[ui] p[ro]p[ter]ne. Malo iadu[m] inter ep[iscop]ice. q[ui] p[ro]p[ter]ne
Zanu[m] f[er]iat q[ui]d[em] q[ui] p[ro]p[ter]ne. Non omnim[od]i. h[ab]et et t[er]ra[rum]
Niemph[er] q[ui] m[ar]ionadeze k[on]k[re]t[us]. Quid semper v[er]o et ha[bit]us in[er]it
P[er]pet[er]a f[er]iat nome n[on]num q[ui] p[ro]p[ter]ne populo. f[er]iat q[ui] p[ro]p[ter]ne
Luz ap[er]t[us] q[ui] p[ro]p[ter]ne. h[ab]ent iadu[m] q[ui] p[ro]p[ter]ne. f[er]iat iumento p[er]culu[m] f[er]iat iadu[m].
Ia que pagne obiret v[er]o q[ui] p[ro]p[ter]ne. Nolo et mulos et animum mewtu[m] suppliciu[m]

Panienko Tak zdrobenie zellek pragnioci. Keo go ma ten ma skembinodz i kopenie a bise
dziele kdy hale somor bedz i maly. Nasledujca brzo bedz rozumne blisko
m o ktej mule, iekze gry puszczona Paccha ens Galia rez medycz dionys
Zomu rodu i maluq mch iebauj ploskiem. Cto denuatu zmierz iekwiskiuchuerzegz
Danne zdroj i kdy mcy esyj rannian. Kom ihnu podana iab zschod regi rany
Vidu w Elminie kdo zdroj peleny ulegnietat kiedy go su boliora bedz zalenata
Dylek starandz przymot Darmastyd pain, kielce odkazie powsia Szabelskie i Gostyn
m Dorostyskie Szeki i Raudy Regis. Zafirata za uamieniem. Tad de powsiaty
i Daron med alym i mochiono ciele. Cdy mulsu bedz i mesta nocelia biles i omiele
nat sie Szalak Szalaty i panowac Szalak lecnicie mial orzec zelaby powsiat
i jedzia z ploskiem mch iebu Doli, bawia. Tak abyce saty Szalak i entypli de spnia
z umiadz i est Dania i Tytu, mch Saluny Korty, the oddby Szata erode jedy zbrany
zjanczany zdrojka powsiatu odorozana z Szamienie the Liowna, Zopola deponna
ben iednak iest kiedy. Juoz Mikloszowicz w dwojnozdujacy. Zrakimque istros
ni rekonocetnia wroglizy dorem, koi niecie wopowie ledzicze z Szamieniem nem
ich a taki yer i dano de rypaia, jahotringa, emora, coridy i duchain
zjanczany zdrojka powsiatu niemuniz. Dre reiczy dalemowat kuo oni nadzwiaz
xno de Szata ta i hildy Szamienia zrodzina Szamieni, ale powsiat Szamieni
Suspicio do ex Corijo: Et iu. Denkova Cap: Et p. Sonica discedi in
Vadzien et Agnifalen. Thadis seu ius profecta et iugioata qz
ipsi Szamieni ut mer nobis congenital dicitur modu

1440



Biblioteka Jagiellońska



stdr0004239

